7.6.E.59
137
2

CONSTITVTIONES
SINODALES.

INNOCENTIVS CARDI.



CIBO ECCLESIAE. TAV

RINENSIS PERPETVS

ADMINISTRATOR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TAVRINI EXCVSSVM APVD
MARTINVM CRAVOTVM
ANNO MDXLVII.

B. C.

138

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

REVERENDI P.

SVFFRAGANEI AD

CLERVM POPVLVMQVE TAVRIN. DIOCESIS PRAEFATIO.

PHILIPPVS *de mari dei & apoſtolice ſedis gratia, Epiſcopus uintimilienſis, ſuffraganeus locumtenens, & Vicarius generalis archiepiſcopalis Taurinenſis, ꝑ Reuerendiſſimo In Chriſto patre, & domino domino Innocentio, miſeratione diuina, Sancte marie in domnica diacono Cardinali, cibo uulgariter nũcupato, eccleſieq́; Taurinenſis perpetuo adminiſtratore, Vniuerſo clero, populoq́; Taurinenſis dioceſis, Salutē In domino ſempiternam. Didicimus ex ſacris libris, ꝙ Chriſtus Ieſus paſtor ille bonus, qui uenit quærere & ſaluum facere quod perierat, omnes ciuitates et caſtella circuiuit, atq́; perambulauit docens. In ſynagogis, & curans omnem Langorē, & omnem Infirmitatem, & ꝙ uidens turbas miſertus eſt eis, quia erant uexati, & iacentes ſicut oues, non habentes paſtorē, que chriſti actio quid aliud eſt quã noſtra (qui paſtoris munus, in ipſius eccleſia gerimus) Inſtructio? & uiua quedam admonitio? nempe, ut eiſdem ueſtigijs Incedentes, requiramus gregē noſtrum. Hac nos doctrina moniti: & hoc Chriſti exemplo excitati: cupientes paſtorali officio noſtro: ad quod diuino auxilio perueniſſe fatemur. ſaltem aliqua ex parte ſatiſfacere,*

uiſitationi huiuſcemodi dioceſis nobis commiſſe, toto fere biennio proxime elapſo intendimus. docendo, monendo, corrigendo, importuneq́ increpando, & obſecrando, ut tempus & res ipſa poſtulabat. Sed quum uiſitando, quamplures parrochos, ſeu animarum curatores, (quod ſine rubore referre nequimus) non modo ignaros eccleſiaſticæ diſcipline, & ad ſeminandum uerbum Dei inexpertes comperuerimus, ſed ignauos & ocioſos, & etiam ſine libris, tanquam arbores ſine fructu conſpexerimus. eorum errori & infelicitati (cuius nos miſeret ac pudet) conſulendum, & quamprimum ſuccurrendum fore exiſtimauimus: tam pro ſua ipſorum q̃ pro animarum quibus curandis preſunt ſalute: ne ſi diutius in hoc officio torpentes fuerimus. dominus ſanguinem ouium alioqui periturarũ de manibus noſtris ſit exacturus: Nihilq́ ad hanc rem magis utile & neceſſarium in primis uiſum fuit, quã conſtitutiones (quas ſynodales appellant) a predeceſſoribus Epiſcopis Taurinen. pro reformatione morum, & pro extirpatione hereſum, & abuſuum, editas. ad illorum manus animumq́ reuocare: quas indeſuetudinem abijſſe, quinimo in obliuionem pleriſq́ euaſiſſe, certo ſcimus, non tam ipſorum parrochorum negligentia, & Ignauia, aut etiam auaritia, quam per quorundam predeceſſorum noſtrorum (quod citra iniuriam, & cum uenia dictum eſſe uolumus) incuriam qui dum uiſitandi & inquirendi officium intermittunt, aut pretereunt, ac differunt, mulctare, huiuſmodi conſtitutionum contemptores. paulatim euenit, ut pauci admodum reperiantur, hoc preſertim

tempore, qui illas emant, & penes ſe habeant, quiq; in illis ſe exerceant, & populo pro ueteri inſtituto publicent & inſinuent. ſed illarum ſtudium & exercitatio refrixit. cum magis magiſq; in dies, opus eſſet, ut ferueſceret. ſiquidem hac noſtra tempeſtate plures quam unquam fortaſſe alias pſeudo prophetæ, & hereſiarchæ hoſteſq; orthodoxæ eccleſiæ in nonnullis regionibus huic noſtre uicinis, prodeunt in publicum & publice conſpiciuntur. In hac uero noſtra regione, plures latent, & inſidiantur: & tanq; leones rugientes querunt quem deuorent, & quem in ſuas hereſes & ſectas diuertant. quibus utiq; reſiſtendum eſt, & ab eis cauendum. ſed quomodo quis reſiſtet & cauebit, ſi huiuſmodi conſtitutionibus inſtructus & armatus non fuerit. Quamobrem, non ſine ratione deliberauimus, prouidere. ut tales conſtitutiones in priſtinam dignitatem, & conſuetudinem, ac obſeruationem, reuocentur. & ut uniuerſi parrochi, illas habeant. nocturna ac diurna manu reuoluant, in his ſe oblectent, exerceant, & in his ſeſe & populum eorum curæ & tutellæ commiſſum inſtruant, & edoceant. quod ſi fiat, fideliter & diligenter, futurum eſſe confidimus. ut ſi quis ex noſtratibus in inſidias noue heretice prauitatis prolapſus fuerit. facile reſipiſcat & gradum reuocans, ſuperas euadat ad auras. at qui nundum ceciderunt, conſtanter in ea lege & credulitate quam orthodoxa eccleſia hactenus precipit, permaneant harumq; conſtitutionum catholicarum, ſubſidio, ſe tueantur, aduerſus quoſcunq; noue hereſis ſtudioſos, ac noui dogmatis Inuentores qui plures hodie ſunt. donec

noua auxilia ex concilio illo generali, quod iamdiu indictum, & inchoatum eſt, emanabunt, & pleniore preſidio reipublicæ eccleſiaſticæ, rebus uacillantibus, conſultum ac proſpectum fuerit. Hac igitur de re, dilecto noſtro Ioan. Petro calcaneo curie archiepiſcopalis Taurinenſis. ſecretario, mandauimus. ut conſtitutiones predictas, per Clementem Boglanum patricium Taurinenſem, utroq; iure doctisſimum, & aſſeſſorem noſtrum integerrimum, a mendis omnibus purgatas, Imprimendas curaret ab optimo & diligentisſimo calcographo. ac archetypis & caracteribus pulchrioribus q̃ alias impreſſe fuerunt. ut hac etiam delectatione, animus lectoris ad legendum alliciatur. Additis inſuper expoſitione orationis dominicæ, & Symboli apoſtolorum explicatione, per ſingula capitula diuiſis, & ab orthodoxis auctoribus ſelectis, quibus impresſis, ſingulis parrochis, & alijs curam animarum exercentibus, mandamus. ut ſinguli harum conſtitutionum codicem, penes ſe habeant, & ſingulis diebus dominicis populo illis commiſſo ad diuina audiendum congregato. ultra publicationem conſtitutionum predictarum (quã iuxta illarum formã fieri uolumus) unum etiam ex capitulis predictis, immediate, poſt oblationem, In idiomate patrio & lingua communi publicare procurent & ne ab impreſſoribus aut ab alijs plus iuſto precio extorqueatur pro codicibus ac libellis, conſtitutionum huiuſmodi uendendis ſingulos codices huiuſmodi archiepiſcopalibus ſumptibus impreſſos. per dictum ſecretariũ ab impreſſoribus retrahi, & per eum diſtribui ac uenundari, &

pro ſingulo codice ſeu libello florenum unum monete pede=montane (quantum fere ex ratiocinio coram nobis acto ex=penſum fuiſſe conſtitit) dũtaxat exigi ordinamus, Has noſtras, in premiſſorum omnium fidem concedentes, quas per prefatum ſecretarium noſtrum fieri, & ſubſcribi, Iuſsimus Sigilloq; ar=chiepiſcopali debite communiri Actas & datas Taurini in Palatio Archiepiſcopali, die prima menſis Iunij Anno a partu Virginis milleſimo, quin=gẽteſimo quadrageſimo, ſeptimo, Põ=tificatus Sanctiſsimi in Chriſto patris, & domini noſtri, domini Pauli diuina ꝓ=uidentia, papæ tertij. Anno decimo tertio.

Carcagni.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS D.D.IO.LV DO. RVERE EPISCOPI Taurinenſis Exordium ad Clerum.

QVando mente reuoluimus, quãta ſit dignitas clericatus, que nos de ſorte domini eſſe facit: contremiſcimus profecto, nec lachrymas poſſumus continere. quia nos indignos facimus ea ſorte ꝓpter ſordes. Quale enim erit clerici obſequium: ſi mens eius polluta fuerit? aut quomodo digne ſacrificium offerre poterit: ſi uita eius maculata extiterit? Studeant igitur clerici maxime ſacerdotali ordine inſigniti: ut ſicut ideo ſacerdotes dicti ſunt: quaſi ſacra dantes. ſacram uitam & immaculatã ducere: iuxta illud eſaie. Mundamini qui fertis uaſa domini. nam & leuitici dicitur. ſacerdotes ſancti & immaculati eſſe debent: & qui habet maculam, non debet offerre panes: ut ſi cecus uel claudus eſſet. Cecus eſt autem (ut Gregorius inquit) qui diuine contemplationis lumen ignorat. Claudus uero: qui uiam uite rectam non uult tenere. Abijcite ergo (ut monet apoſtolus) a uobis opera tenebrarum: & induite arma lucis: & ne (ut alibi ipſe inquit) uituperetur miniſterium noſtrum: tenete uiam uite intactam & honeſtam: quam ſacri canones tradiderunt: & nos in hunc: qui ſequitur modum; iubemus obſeruari.

QVoniam(ut Grego. inquit) humane aures talia uerba noſtra iudicant qualia foris ſonant. Sunt enim uoces (ut dixit philoſophus) note earũ que ſunt in anima paſſionum. Ne igitur clerici maxime in ſacris conſtituti, quid intrinſecus gerant ſuis uerbis ad malum populi exemplum demonſtrent: Iubemus, ut linguam eorũ pro uirtute prima compeſcant. Eſt enim ianua mentis: miniſtra rationis: & dux humani commertij. Caueant ergo a multiloquio ac ſtultiloquio: & turpibus uerbis ad luxuriam prouocantibus, atq; a detractionibus: nec uerba ſacre lectionis ad ridiculoſam interpretationem trahant. Contemptores enim diuine animaduerſionis uindicta: noſtraq; correctio paſtoralis ſuſcipiet.

De habitu & extrinſeca clericorum demonſtratione. ij.

NE corporis & habitus incompoſitio immaturitatem mentis oſtendat: hoc edicto prohibemus: ne quis clericus (maxime ſacerdotali cingulo inſignitus) per eccleſias & loca publica incedendo currat. Nec partitas caligas: ſiue birretum deſuper infulatum ſeu ornatum uel cum plica factum: quadratas diploides: calceos aptos: aut ueſtimenta in ſummitate aperta: aut longa: uel nimia breuitate notata deferat, ſed pudorem & uerecundiam mentis ſimplici & honeſto habitu, inceſſuq; oſtendat. Penam autem contra faciens groſſorum decẽ uice qualibet incurrat: ſi ſub diaconus aut diaconus fuerit:

Si presbyter uiginti: cuius pene medietas accuſatori detur.

De tonſura deferenda, & barba Non nutrienda. iij.

POſtq̃ ſacri canonis ſanctione cauetur: ut clericus comam relaxans anathema ſit. Preſenti conſtitutione addendo decernimus, ut nullus decetero clericus barbam longã nutrire, nec incedere: ſeu miniſtrare preſumat: niſi demum raſo ſeu atonſo deſup capite ad modum parue ſphere, crinibus quoq; inciſis, auriculis apparentibus, pena unius ducati uice qualibet contrariantibus ipſo facto imminente.

De armorum delatione prohibita. iiij.

ARma deferens preſumitur malum animum habere ac de bello & rixa cogitare. Non liceat ergo cui piam clericorum offenſibilia arma deferre, niſi ex rationabili & euidenti cauſa: & tunc de noſtra, uel uicarij noſtri licentia: uel neceſſitate. q̃ ſi ſecus fiat pene amiſſionis armorum & ducatorum duorum eum uolumus ſubiacere.

De ebrietate uitanda. v.

EBrietatem clericis ſignanter uetamus: quia omnium uitiorum fomes ac nutrix eſt. Itaq; eum clericũ quẽ ebrium eſſe conſtiterit: & in conſuetudinem duxerit: que duabus uicibus inducta eſſe intelligatur pena duorum ducatorum uice qualibet plectimus. & nihilominus ſuſpendatur a diuinis ſi ſeipſum non correxerit.

Conuiuia publica:que ex intentione impendēde charitatis fiunt:laudamus.ea uero,in quibus detractiones ac libidinoſa uerba & inhoneſta proferuntur,aut uериſimiliter proferri preſumuntur:inſuper & nimiam confabulationē & moram cum laicis in locis publicis,maxime plateis,ſacerdotibus quibuſcunq; prohibemus,& ſi cum turpibus perſonis: aut inhoneſtis mulieribus penam duorum ducatorum pro qualibet uice incurrant.

De concubinatus prohibitione. vii.

Vite honeſtatem maxime in clericis affectantes ſtatuendo iubemus ut nullus clericus concubinam:ſeu mulierē iuuenem,aut alias de carnali copula ſuſpectam,in eiuſdem clerici proprie habitationis domo:uel alibi:publice: notorie:uel manifeſte retinere preſumat.quinimmo eam incontinenti a ſe abijciat:alias eo ipſo concubinatus intelligatur eſſe probatus,cum ex facultate coeundi preſumatur fornicatio. Contra facientibus autem decem ducatorum penam ipſo facto irrogamus perſeuerantes ex nunc excommunicamus.

De mulierem conuerſatione prohibita. viij.

Non ſolum abſtinendum eſt a malo : ſed etiam ab omni occaſione mali. Cum igitur(ut beatus Bernardus inquit)colloquium mulierum non niſi uirus amarum ſit:

prebens ſub mellis dulcedine pocula fellis. Ideo in ſacris ordinibus conſtitutis probibemus: ne publice cum infamatis mulieribus: uel alias de copula aut lenocinio ſuſpectis, in locis publicis frequenter loquantur: uel alias commercium habeant. Contra facientes pena decem groſſorum uice qualibet feribus: acrius puniendos ſi uiſum nobis fuerit expedire.

De ſenibus clericis mulierum probibita retentione. ix.

QVamq̃ ſenilis etas quandoq; ſuſpitionem future incontinentie dicatur auferre: tamen quia indecens eſt, maliq; exempli ac ſcandali reputamus: q̃ ſacerdotes: licet ſenes ſint: mulieres iuuenes: & de copula ſuſpectas ſecum teneant ad morandum. Ideo illis probibemus: ne tales mulieres in eorum conſortio retineant ſub pena duorum ducatorum ipſo facto incurrenda.

De baſtardis ſecum non tenendis. x.

QVamplurimos chriſti ſacerdotes ex damnato coitu ſobolem didicimus procreaſſe: crimenq; ſuum ex ipſius reprobate ſobolis demonſtratione manifeſtaſſe: quod quantum reprehenſibile ſit & indignum: ſciunt omnes qui intelligunt. Quapropter ſtatuimus: ne quiſq̃ presbyterorum filios decetero (ſic ut ſupra genitos) ſecum detineat: nec ab eis quoquo modo ſibi faciat ſimulari: neq; eos dum in altari miniſtrat: penes ſe aſtare patiatur. Si quis autem deinceps contra hanc conſtitutionem noſtram molictur: pene duorum ducatorum uice quali-

bet ſubiacere decernimus:& niſi reſipuerit penam ipſam pro arbitrio iudicantis augendam iubemus.

De negotiatione non exercenda. xi.

NEgotiatorem clericum(ut Hieronymus inquit)tanꝗ̃ peſtem fuge:quia nemo militans deo ſe negotijs debet ſecularibus implicarẽ:unde antiquorum noſtrorum ſtatuta imitantes:quibuſcunq; clericis ſacerdotibus ſub excõmunicationis pena prohibemus:ne officia ſecularia & actus publicos exerceant:niſi in caſibus a iure permiſſis. Nec uictualia emant:ut illa carius uendant. Contra facientes puniendos arbitrio noſtro reſeruamus.

De taberna fugienda:eaq; non exercenda. xij.

CAnonibus ſacris adijciendo ſancimus: ut clericus maxime ſacerdotio inſignitus:qui per ſe aut per aliũ eius nomine tabernam exercere: aut cauſa comedendi:uel bibendi intrare preſumpſerit:niſi quando extra propriã domicilium eum contigerit peregre proficiſci. Similiter & qui domum,eccleſie maxime intra ambitum exiſtentem alijs locare ad tabernam exercendam,uel inhoneſtis mulieribus nõ erubuerit,penam decem ducatorum incurrat. Penſionem quoq; domus ipſo facto amittat:& totidem de ſuo nobis reddere in pios uſus & reparationem eccleſie conuertendos teneatur.

De ludis prohibitis. xiij.

LEgem quam preceſſores antiſtites ſtatuerunt, conſeruare & ampliare cupientes. Clericis: maxime ſacerdotibus: ſub pena unius floreni uice qualibet committenda prohibemus: ne ad taxilos: tabulas: ſeu chartas uel alios ludos: clericis a iure prohibitos in locis publicis ludere: ſeu ludentes ibidem longa mora aſpicere preſumant. Cauſa autem recreatiõis & nõ lucri pecuniarij: ad tabulas ſeu chartas in priuatis locis cũ honeſtis perſonis: nec laudamus: nec uituperamus.

De blaſphemijs & ſceleratis iuramentis. xiiij.

SI ea de quibus uehementer deus offenditur inſequi uel ulciſci differimus: ad iraſcendum utiq; diuinitatis patientiam prouocamus. Licet igitur ſacro canone finali. in titulo de maledicis ſcripto, contra blaſphematores opportune prouideatur. quia tamen illius diſpoſitio negligitur (licet ardenter obſeruari conueniat) hoc edicto ſtatuimus: ut omnino canon ipſe inconcuſſe obſeruetur. Et ulterius ex officio noſtro contra clericos: ſeu laycos ſic blaſphemantes: ac ſcelerata iuramenta: publice in communi ſermone: ſine debita diſcretione facientes: non admiſſis procuratoribus: uel aduocatis per inquiſitionem procedatur. & ultra mulctam a iure communi ſtatutã penam quatuor ducatorum incurrant: ſi presbyter decẽ. quoniã (ut alibi legis humane lator inquit) peſtilentie: terre motus: fames: penuria atq; bella ex nephãdiſſimo hoc crimine oriuntur.

De priuilegij clericalis priuatione. xv.

MVltos nouimus ad chriſti militiam feſtinare. ut effe cti clerici liberius & impune delinquere ualeāt: unde clericos arma deferentes in habitu & tonſura non incedentes: Enormitatibus & negotiationibus ſecularibus: aut publicis blaſphemijs uel ſceleratis iuramentis: ut ſupra: ſe imi-ſcentibus: priuilegio clericali: generali tantum monitione tertio precedēte: preſentis conſtitutionis auctoritate priuamus & pri uatos eſſe decernimus Ita ut ab eccleſia ſe defendi non ſperent & ſi propter crimina per eos decetero (quod abſit) committen da a ſecularibus iudicibus impetantur. Cognitione tamen an ſci licet ſic: ut ſupra: clerici uixerint: uel ambulauerint nobis: ſeu ui cario noſtro reſeruata.

De clericis laycorum penis ſubmiſſis. xvi.

CVm ſoleant layci oppido infeſti eſſe clericis. Ideo ut eorum latratibus frenū aliquod imponatur: & ne cle-ricis plus ꝙ laycis temeritatis audacia conceſſa eſſe ui deatur. Decernimus omnes clericos eiſdem penis: (erario ta-men noſtro applicandis) ſubiacere: quibus layci de nocte ſine lumine ambulantes: fructus quoqꝫ & res alias cāpeſtres furan-tes ſecularium ſtatutis ſubijciuntur. Pro modo autem exceſſus ac delicti qualitate acrius puniendos.

De ſcripturarum lectione frequentanda. xvij.

NOn ſufficit clericis morum boneſtas & bona conuerſatio: niſi addatur ſcientia doctrine: quia ignorantia mater cun=

ctorum errorum maxime in ſacerdotibus dei uitanda eſt. Quo circa in Chriſti charitate monemus omnes clericos & curam animarum habentes & in uirtute ſancte obedientie mandamus: ut ſtudijs ſacrarum ſcripturarum iugiter intendant: ne officiando (ut ſepe audiuimus) populis ludibrio fiant. Et ſi forte (quod abſit) dei honorem & ſuum in predictis poſtpoſuerint: eos curabimus pene formidine ad ſcripturarum lectiones inducere.

De preuidendis ſcripturis anteꝗ̃ celebretur. xviij.

QVamꝗ̃ (teſte Auguſtino) miniſtri eccleſie irridendi non ſint, ſi cum barbariſmis deum inuocant uel ſacre lectionis uerba: que proferunt non intelligant: id tamen (ut ipſe ſubijcit) incorrigibiliter non eſt tranſigendum. Quo circa quibuſcunꝗ; clericis lectoribus et presbyteris in uirtute ſancte obedientie mandamus: quatenus anteꝗ̃ coram populo legant, uel miſſas celebrent: diligenter, explicite, & ordinate legere curent: ſepe que dicturi ſunt legendo & perlegendo ac repetendo. Si quis autem hanc conſtitutionem neglexerit animaduerſionis noſtre uindicta ſe nouerit plectendum.

De tabellionatus officio presbyteris prohibito. xix.

NVllus notarius in ſacris ordinibus cõſtitutus de cetero preſumat officiũ tabellionatus exercere, niſi in cauſis eccleſiaſticis, matrimonij: uel pacis: & niſi recipere teſtamenta uel codicillos in neceſſitatis articulo: quãdo alius notarius cõmode haberi nõ poteſt ſub pena uiginti groſſorũ ipſo facto incurrẽda.

Sequuntur conſtitutiones curatos ſignanter reſpicientes uſq; ad. liij. excluſiue.

De ſacramentorum conſeruatione. xx.

PRouideāt rectores, & miniſtri eccleſiarum ut ſacratiſsimum corpus domini noſtri Ieſu chriſti chriſma: Oleum cathecuminorum: & infirmorum ſub claue fideli: loco honeſto & ſingulari reuerēter cōſeruetur, ne ad illa poſsit temeraria manus extēdi ad aliqua horribilia: uel nephanda. Hunc autem locum de quo dictum eſt, qui non habuerit: infra tres menſes habere procuret ſub pena groſſorum decem. quoniam iubemus, ut omnia premiſſa omnes eccleſie curate habeant ſignanter illud corpus chriſti ſacratisſimum: quod qualibet octaua die uolumus renouandum penam circa premiſſa contrafacienti arbitrio noſtro irrogabimus. Excommunicationis autem late ſententie ferimus: qui pretacta ſacramenta aut aliquod ipſorum pro ſortilegio aliquo uel alio quocunq; nephando alicui tradere preſumpſerit, & preterea ad perpetuos carceres condemnamus.

De ſacramento eucharistie uenerando. xxi.

ILlud corporis chriſti excellentiſsimum ſacramentum maxime cum in eccleſia oſtēditur: uel ad infirmos defertur: adorandum: uenerandum, colendum glorificandum: precipuis magnificandum laudibus: dignis preconijs exaltandum, cunctis honorandum ſtudijs, deuotis perſequendum ob=

ſequijs, ſinceris mentibus retinendum ſancimus. Et propterea iubemus, ut ad infirmum nõ deferatur, niſi cum capa: uel ſuperpelicio: ſtola: lumine: ac tintinabulo reuerenter. Et quicũq; eundo & redeundo illud aſſociauerit, ſi uere penitens & confeſſus fuerit quadraginta dies de iniuncta ſibi penitentia relaxamus. Quibuſcunq; propterea ſub excommunicationis & duorum ducatorum penis pro quolibet inhibentes, ne in feſtiuitate ipſius glorioſiſſimi corporis humanas inboneſtas: ſeu ridiculoſas repreſentationes, quas ludos uocant, facere preſumant. ſed eas tantummodo que ad deuotionem animos allicere poſſunt.

De paruipendentibus ſacram communionem. xxij.

PErtinaciam quorundam compeſcere affectantes: ſecundum antiquas conſtitutiones iubemus, ut rectores eccleſiarum in ſcriptis eos redigant: qui ſacram communionem anno ſingulo (ut ſequitur) ſuſcipere non curarunt. Illoſq; moneant: & inducant, ut confeſſi & contriti ueniant ad communicandũ. Quod ſi per menſem poſt paſcha indurati permanſerint: ab ipſis rectoribus citentur coram nobis, ut infra decem dies poſt citationem compareant ſub excõmunicationis pena. Et ſi infra alios decem dies a fine dictorum decem dierum inchoandos ſic citati: rectori eccleſie fidem comparationis non fecerint: tunc ipſe rector eos publice denunciet in eccleſijs excommunicatos: quia ſic eo caſu eos ex nunc pro ut ex tunc: preſentis conſtitutionis auctoritate excommunicamus. Penam autem contra rectores in premiſſis negligentes arbitrio noſtro reſeruamus.

IVxta ſtatutum concilij generalis: Omnis utriuſq; ſexus fidelis poſtq; ad annos diſcretionis peruenerit: omnia: ſolus ſua peccata ſaltem ſemel in anno confiteatur proprio ſacerdoti: & iniunctam ſibi penitentiam pro uiribus ſtudeat adimplere. Et ſuſcipiat ad minus in paſchate reuerenter ſacratiſſimum euchariſtie ſacramentum. Niſi forte de proprij ſacerdotis conſilio ob aliquam iuſtam & rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum. Si quis autem alieno ſacerdoti: uoluerit iuſta de cauſa confiteri: licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote: cum aliter alienus ſacerdos eum nequeant abſoluere: uel ligare. qui autem contra huiuſmodi ſtatutum fecerit eccleſiaſtica careat ſepultura, ad quam ſi ſacerdos & alij ipſum preſumptorem admiſerint penam decem florenorum ipſo facto incurrant. Niſi ille in mortis articulo aliqua ſigna oſtenderit contritionis.

De poteſtate eligendi confeſſorem. xxiiij.

ANtiqua conſtitutione diſponente confirmamus: & quatenus opus ſit de nouo concedimus quibuſcunq; clericis in ſacris ordinibus conſtitutis clericali more in dioceſi noſtra degentibus: ut totiens quotiens eiſdem uidebitur poſſint idoneum confeſſorem ſecularem uel regularem: etiã curam animarum non habentem ſibi eligere: qui iniuncta prius

penitentia

penitentia ſalutari eum abſoluere poſſit ab omnibus peccatis et caſibus etiam nobis reſeruatis: preterꝙ̄ a cenſuris a iure communi: uel ſynodali: aut prouinciali conſtitutione: ſeu ab homine promulgatis. Eoſdem clericos nihilominus admonentes, ne pretextu huiuſmodi indulti noſtri quiſpiam ipſorum in peccatū aliquod labatur. Immo prorſus reſpectu tante gratie caueant & penitus abſtineant ab omni labe peccati. Quod ſi ſub hac ſpe opera dedita peccauerint non ſuffragetur eiſdem hec gratia quo ad caſus nobis reſeruatos.

De confeſſione celanda. xxv.

ET ſacre confeſſionis ſigillum diligenter cuſtodiatur. Sancimus ut ſacerdos peccatorum ſibi confeſſorū reuelationem uerbis, ſignis, factis, litteris, nutibus: uel quibuſcunq; alijs modis quocunq; modo faciens, proprij honoris gradus: officij: atq; beneficij periculo ſubiaceat ex degradatione ſtatim ſine ſpe reſtitutionis per nos de ipſo facienda.

De confeſſione populo commemoranda. xxvi.

SAcramentalem confeſſionem: per quā facilius tendimus ad ſalutē ſepe diebus quadrageſime ſacerdos populo commemoret: ut ſponte ueniat ad eandem: nō expectando quouſq; amplius fugere non poſſit. A confitentibus autem ſacerdos non inquirat perſonas nominatim: cum quibus fatentur ſe peccaſſe ſub excommunicationis pena late ſententie. Sed peccatorum qualitates: & circunſtantias: que ag-

grauant peccatum ſobrie inquirere ſufficiat. neq; aliqd ab ipſis exigat, ſed oblata ſibi pro eleemoſyna humiliter accipiat ſub pena dupli.

De confeſſoribus admittendis. xxvij.

NE: ſi cecus ceco ducatum preſtet ambo in foueam dilabantur: preſenti edicto (deo auctore) ſancimus ut nullus curatus nobis: ſeu uicario noſtro in conſulto, aliquem etiam mendicantem: uel exemptum ad audiendas confeſſiones in parrochia ſua admittat, niſi eo prius per nos aut a nobis deputando examinato: publiciſq; litteris noſtris approbato, ſub pena decem ducatorum.

De alieno parochiano non admittendo. xxviij.

DEcet, ut curatus parochianos ſuos (de quibus rationē domino redditurus eſt) ad diuinum officium & ſacramenta recipiat: & non alius ſacerdos. Ne igitur proprio ſacerdoti iniuria fiat. Quibuſcunq; ſacerdotibus prohibemus, ne alienum parochianum in uita: uel in morte contra uoluntatem proprij ſacerdotis ad officium diuinum: uel alia ſacramenta ecclesiaſtica: maxime diebus dominicis & de precepto feſtiuis in preiudicium eccleſie parochialis recipiat. Sub pena noſtro arbitrio imponenda. Excommunicantes ulterius eos qui iura parochialia ad alios pertinentia minuere inuadere: uel alias quomodolibet uſurpare preſumpſerint.

De inquiſitione per curatos facienda. xxix.

TAm q̄ piſcatores: & uenatores hominum hi: qui eccleſijs parochialibus preponuntur diligenter inquirant omnes ſibi ſubditos an ſaltem ſemel in anno confeſſi fuerint: & quibus confeſſi ſint. Nec ad communionem aliquem admittant, niſi prius de confeſſione ſibi: uel alteri facta conſtet: uel ueriſimiliter ſecundum perſonarum qualitatē de ea preſumant. Nec alienum parochianum ad eandem communionem admittant, niſi de noſtra uel proprij illius ſacerdotis licentia ſpeciali.

De delictorum inſinuatione per curatos facienda. xxx.

NE (ſicut alibi Eſaias inquit) eccleſiarum curati canes muti non ualentes latrare uideantur: preſenti decreto ſtatuimus: ut decetero omnes curam animarum regentes teneantur: nobis ſeu uicario noſtro ſub excommunicationis pena, uerbo: aut ſcriptis fideliter inſinuare omnes eorum parochianos in publico peccato degentes: maxime adulteros: concubinarios: blaſphematores: incantatores: Sortilegos: hereticos: Apoſtatas: Ac laborantes die feriato neceſſitate non cogente: Et quolibet anno confiteri: & communicare nolentes, ut tales debita, ut conuenit, animaduerſione feriamus. Curatorum autem in premiſſis negligentiam etiam pro arbitrio noſtro ulciſci curabimus.

Licet (ut alibi ſcriptum legimus) excõmunicatio ſit gladius penetrabilior qui reperiatur in mundo: quia ſicut ruſticus potitur ſuo iumento: ita diabolus utitur perſona excommunicati. Tamen multos nouimus perfidos chriſtianos illam non timentes: quinimmo de ea nugantes. quibus ut deinceps timor incutiatur. Statuimus ut oẽs prelati: ſeu eccleſiarũ rectores quibus littere publicationis, excommunicationis, cuiuſcunq; auctoritatis fuerint preſentate ſtatim excõmunicatorum nomina cum expreſſione diei date ipſarum litterarum & executionis in chartulario uno ſeriatim deſcribant: ac ſaltem bis in anno ipſum chartularũ nobis preſentent. ut contra eos quos cenſura ipſa ultra annum tenuerit alligatos condigna animaduerſione, tanquã contra hereticos procedamus. Qui uero pretactam deſcriptionem & preſentationem facere neglexerit penam unius ducati ipſo iure incurrat.

De excommunicationis litterarum preſentatione. xxxij.

Ne, eccleſiarum rectores precipitanter & inconſyderate excommunicationis publicationem faciant. Iubemus: ut impetratores litterarũ illas rectoribus ipſis preſentent ante diem faciende publicationis. alias ſi eadem die preſentabuntur: qua publicari debent rectores, ipſi tunc publicare non teneantur. Et idem obſeruetur ſi a die date dictarum litterarum tempore dicte preſentationis lapſi ſint triginta dies

quo caſu nec littere publicentur: nec excommunicatio effectum habeat: ſed irrita & inanis cenſeatur.

De litteris non publicandis. xxxiij.

MAlignantium fraudibus & falſitatibus obuiare cupientes, & ne falſe & ſubrepticie littere in ſubditorum noſtrorũ & iuriſditionis noſtre ordinarie diminutionem & contemptum: executioni demandentur: tenorem priſce conſtitutionis inſequentes: quibuſcunq; prelatis eccleſiarum rectoribus: nuncijs tam publicis ꝙ priuatis ac litterarum impetratoribus: tam clericis ꝙ laycis ſub excõmunicationis pena & groſſorum .xxx. uice qualibet committenda prohibemus ne litteras aliquas tam apoſtolicas ꝙ a quocunq; iudice eccleſiaſtico emanatas exequi: ſeu exequi facere: publicare aut preſentare preſumant niſi illis per nos: aut uicarium noſtrum prius uiſis & ſuper eiſdem per nos : ſeu eundem uicarium gratis appoſito uerbo placet. uel ſi apponi (quod abſit) denegetur nulla legitima cauſa precedente.

De presbytero in cura non ſubſtituendo. xxxiiij.

PAſtori ouium cura eſt ne lupus rapiat: mercenario autem non. quia mercenarius eſt, & ad eum nihil ſpectat de ouibus. Et ideo cuicunq; beneficiato curã animarum habenti prohibemus ſub decem florenorum pena ne aliquem presbyterum ſecularem loco ſui in eccleſia curata aliquo modo ſubſtituat. Niſi demum facta nobis de eo preſentatione

& licentia admiſſionis obtenta. Qui uero tali eccleſie ſeruie-rit: ſeu ſeruiri fecerit noſtri licentia non precedente: eandem penam incurrat. Regularem autem cuiuſcunq; ordinis ſit nullo modo ad curam animarum regendam in eccleſijs nobis ſubiectis uolumus admitti pena predicta contra facienti imminẽte.

De inuentario bonorum conficiendo. xxxv.

QVod priſca etas ſtatuit: unio noſtre ſynodalis congregationis addendo inſtituit: & confirmat: ꝙ omnis: cui rerum eccleſiaſticarum adminiſtratio committitur: iurare teneatur: ꝙ calices, libros, paramẽta: aliaq; ornamenta diuino cultui deſtinata: necnon predia: terras, poſſeſſiones, ceteras quoq; res mobiles & immobiles actiones, & iura ipſi eccleſie quoquo modo ſpectantia & pertinentia: nullo modo per ſe: uel alium directe: uel indirecte: quouis exquiſito colore alienabit: uel in alium transferet: aut hypothece uel pignori aliqualiter obligabit abſq; noſtra: uel ſucceſſorum noſtrorum licentia ſpeciali. Sed de ipſis bonis & rebus predictis inuentarium in publicam formam redactum fieri faciet infra duos menſes a die adepte poſſeſſionis eccleſie. Illi autem qui iam antiquiori tempore poſſeſſionẽ adepti ſunt infra duos menſes poſt preſentis conſtitutionis publicationem. Quod quidẽ inuentarium nobis deferre poſtmodum teneantur infra menſem a die confectionis illius ſub pena duorum ducatorum. Qui autem contra huiuſmodi conſtitutionem alienauerit, tantundem de ſuo eccleſie reſtituat: penamq; predictam incurrat: & nihilominus

alienatio ſeu pignoratio irrita habeatur.

De habitu in ſacramentorum miniſtratione habendo. xxxvi.

IVbemus, ut eccleſiarum rectores in adminiſtratione ſacramentorum uidelicet baptiſmatis eucharíſtie Benedictionis nuptiarum: Extreme unctionis Ac in defunctorum ſepultura omnino habeant cotam: uel ſuperpelicium cum ſtola. Et ſi contra fecerint penam groſſorum ſex uice qualibet incurrant.

De Cota a clericis deferenda. xxxvij.

TAlis quis preſumitur qualis habitu reperitur. Non permittant ergo eccleſiarum rectores: ſeu ſacriſte aliquos clericos circa eccleſie myſteria deſeruire: niſi cũ cota: ſeu capa: aut ſuppelicio, quia ſic omnes clericos in eccleſijs ornatos eſſe uolumus & iubemus.

De incognito ſacerdote non admittendo. xxxviij.

SOlicitudinem ueſtram iuxta ſanctorum canonum inſtituta monemus, ut in ecclesijs uobis commiſsis incognitum ſacerdotem miniſtrare non permittatis, niſi prius uiſis & perlectis litteris ſue promotionis & alijs ſuper eis a nobis ſpecialiter conceſsis.

De curatorum circa infirmos diligentia. xxxix.

CVm ſacerdotes ad infirmum in extremis laborantē uocantur. Moroſi in accedendo non fiant, ne ſine penitentia moriatur. ſecum autem tunc chriſti corpus non deferant, niſi infirmus a longe multum eſſet remotus. ſed prius ad eum accedant & ad confeſſionem inducant: qua expleta beneficioq; abſolutionis impenſo congruentius poterunt communionem miniſtrare. Neglıgenti (ut ſupra) penam carceris. xl. dierum in pane & aqua irrogamus.

De baptiſmatis forma ſeruanda. xl.

CVratus ſeu presbyter baptizans diligentem aduertentiam adhibeat in prolatione uerborū: ut latinis uerbis ſic dicat. Ego te baptizo in nomine patris ✠ & filij ✠ & ſpirituſſancti ✠ amen. Et illa uerba dicēdo ſuper caput infantis ter aquam fontis baptiſmatis infundat. Sepe quoq; in eccleſijs modum doceat baptizandi in uulgari ſermone propter caſum neceſſitatis: in quo omnes ſeruata forma dictorum uerborum & aſperſa aqua pura elementali poſſunt infantes baptizare.

De compatribus admittendis. xli.

QVamuis non plures ꝙ̃ unus: accedere debeant ad infantem leuandum de ſacro fonte baptiſmatis. Admiſſibilem tamen conſuetudinem abrogare nolentes: concedimus, ut tres: ſed non plures in baptiſmo compatres admittantur: excepto baptizante: niſi noſtra uel uicarij ſpecialis ac-

ceſſerit diſpenſatio: que tantum non concedatur, niſi cauſa legitima ſubſiſtente. Qui uero plures admiſerit penam groſſorum ſex pro ſingulo incurrat.

De cognationis & mortis probatione. xlij.

Utile & neceſſarium fore exiſtimamus quotidiana ſic nos inſtruente experientia: ꝙ ad cognationem ſpiritualem: affinitatem: & Mortem probandam oportune prouideamus. Conficiat ergo librum rector quilibet eccleſiarum ſub unius ducati pena: In quo ordinate infantes baptizandos Ac illos de ſacro fonte leuantes deſcribat. Et etiam eos teſtibus ſaltem duobus expreſſis: qui ipſo rectore preſente matrimonium de preſenti contraxerint: Idem de morientibus obſeruetur cum expreſſione diei eorum ſepulture. Tali enim libro ſic confecto & in cuius principio nomen rectoris erit deſcriptum. Statuimus in iudicio & extra tantam fidem adhiberi ac ſi eſſet publicum inſtrumentum.

De baptiſmate non differendo. xliij.

TEnor antique conſtitutionis: quotidiana quoq; corruptela nos ſtimulat, ut (preter clementine unice in titulo, de baptiſmo. diſpoſitionem) ſtatuamus. ꝙ nulli parentes filiorum ſub excommunicationis pena ferende ſententie: ambitione: iactantia: aut auaricia ducti ſuorum infantium de ſacro fonte: ſeu baptiſmo leuationem differant. Sed poſtq̃ orti fuerint infra dies octo immediate ſequentes per curatos ſeu cu=

ram regentes eccleſiarum: & non per alium (niſi caſus neceſſitatis occurrat) baptizari procurent: & faciant: quoniã talis mora ſepe poteſt animabus infantium eſſe nociua.

De ieiunijs. *xliiij.*

OMnis chriſti actio noſtra eſt inſtructio: qui cepit facere: poſtea docere. Sacerdotes ergo ieiunia de precepto obſeruent: deinde populo eis commiſſo enunctient, ut pariter deuote ieiunent ſub pena peccati mortalis: niſi cauſa ſubſit excuſationis legitima: Vigiliam ſcilicet Natiuitatis domini: ſancti Mathie apoſtoli: Quadrageſimã: Tres dies quattuor temporum: quater in anno. Vigiliam pentecoſtes: ſancti Ioannis baptiſte: ſanctorũ apoſtolorum Petri & Pauli: ſancti Iacobi, ſancti Laurentij: ſancti Bartholomei: Aſſumptionis beate Marie uirginis: ſancti Matthei apoſtoli & euangeliſte: ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Iude: Omnium ſanctorum: ſancti Andree apoſtoli: ſancti Thome apoſtoli. Et alia ieiunia: que forte conſuetudo aliqua introduxerit. Et ſi quis rector eccleſie in aliquo premiſſorũ defecerit: trium groſſorum penam uice qualibet incurrat.

De ferijs. *xlv.*

MEmento: ut diem ſabbati obſerues: ait dominus omnipotens. Mementote ergo eccleſiarum rectores populo iubere, ut ſub pena peccati mortalis ac trium

groſſorum fabrice eccleſie parochialis applicandorum diebus feſtiuis inferius annotatis ab omni opere ſeruili(niſi in caſibus a iure expreſſis)abſtineat,ac etiam tunc a publicis choreis:prohibitis comeſſationibus : ſaltationibus & ludis : tempore quo miſſe ac diuina officia celebrantur . Sed dies ipſi in Dei honorem non publicis cantilenis inhoneſtis ad luxuriam prouocantibus : uel in quibus nomen Dei aſſumitur in uanum tranſigantur . Sed orationibus peregrinationibus:diuinis officijs : ac pijs & ſanctis operibus Deo & ſpiritui ſeruiendo . Dies autem ſunt hi primo omnes dominici:Natiuitatis domini noſtri Ieſu chriſti.ſancti Stephani:ſancti Ioannis.apoſtoli & euangeliſte : ſanctorum Innocentium:ſancti Silueſtri:Circunciſionis domini:Epiphanie:ſancti Antonij:de laudabili conſuetudine:Purificationis beate Marie : ſancti Mathie apoſtoli : Annunciationis beate Marie:Paſchatis cum duobus ſequentibus : Apoſtolorum Philippi & Iacobi : Inuentionis ſancte crucis : Aſcenſionis domini noſtri Ieſu chriſti : Trium dierum rogationum uſq; ad horam tertiarum ſeu uſq; finitam letaniarum proceſsionem : Pentecoſtes cum duobus ſequentibus : Trinitatis Corporis chriſti ſancti Ioannis baptiſte patroni noſtri:ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli: Marie magdalene de laudabili conſuetudine : ſancti Iacobi apoſtoli : ſancti Laurentij:Aſſumptionis uirginis : ſancti Bartholomei . Natiuitatis uirginis : ſancti Mathei apoſtoli & euangeliſte : Dedicationis ſancti Michaelis:ſancti Franciſci: cum exhortatione indulgentiarum per felicis recordationis :

Sixtum papam quartum. ſanctorum apoſtolorum Simonis & iude. Omnium ſanctorum. Cōmemorationis omnium defunctorum fidelium quouſq; ſint completa officia: ſancti Martini Epiſcopi: ſancti Andree apoſtoli: ſancti Thome apoſtoli: Dedicationis: ſeu conſecrationis eccleſiarum in ſuis locis: & aliorum ſanctorum ſecundum diuerſitatem locorum: ubi de conſuetudine approbata a populo celebrantur. Penam autem rectoribus eccleſie dicta feſta debito tempore non publicantibus trium groſſorum uice qualibet irrogamus.

De feſto ſancti ſecundi celebrando. xlvi.

BEnedictus & mirabilis eſt dominus in ſanctis ſuis: & honoratur ex eis: quia ſanctificauit eos Itaq; (prout hactenus conſtitutum eſt) Iubemus ſub pena peccati mortalis, ut ciues, habitatores & incole ciuitatis noſtre taurini feſtum ſacratiſſimi martyris. Secundi thebei: cuius corpus in eccleſia noſtra maiori honorifice conquieſcit: Deuote ac ſolemniter uenerentur: ab omni opere ſeruili ceſſando.

De publicandis caſibus epiſcopo reſeruatis. xlvij.

ANtiquorum noſtrorum ueſtigia inſequentes iubemus eccleſie rectores anno ſingulo dominica prima quadrageſime: dominica de paſſione; & dominica palmarum debere alta & intelligibili uoce populo declarare caſus: quorum abſolutio iure communi & conſtitutionibus tã ꝓuincialibus q̃ ſynodalibus Epiſcopo reſeruatur. Rectorẽ aũt

hec non obſeruantem a perceptione fructuum ſex menſium beneficij:cui preeſt ſiue in eo titulum:aut poſſeſſionẽ habuerit ſiue tanquam conductor illud detineat ipſo facto priuamus:& priuatum eſſe decernimus.

De monitionum publicatione aliquando omittenda. xlviij.

NOuimus in plerisq; locis ꝙ plures litteras monitionum generalium publicari. Iubemus ergo ut tempore quo conſtitutiones noſtre publicabuntur : tanto minus de ipſis monitionibus legi,ne populus faſtidio imbutus conſtitutionibus negligat prebere auditum.

De conſtitutionibus habendis & publicandis. xlix.

QVoniam parum ualet ſtatuta condere niſi eorũ notitia habeatur. Iubemus ut unuſquiſq; archipresbyter Curatus,uicecuratus,ſeu rector,uel miniſter eccleſiarum parochialium tenorem harum conſtitutionũ noſtrarum in preſenti ſynodo publicatarum habere teneatur a nobis deputãdo et non ab alio:qui pro ipſis impreſſis:ultra groſſos ſex monete ſabaudie exigere non poſſit. Penam autem quatuor florenorum cuilibet ſacerdotum predictorum dictas conſtitutiones non habenti ipſo facto irrogamus:eidemq; ſub eadem pena iniungimus quatenus conſtitutiones infra per numerum annotatas & quamlibet ipſarum populo publicet & declaret:ad minus quater in anno accommodatis diebus:aliquando unam: aliquando duas ſeu tres:& plus:& minus ſecundum quod tempo=

ris opportunitas & facultas patientur.

L.

PVblicande conſtitutiones infra ſcripto numero deſignãtur.uidelicet.i.xiiij.xv.xxij.xxiij.xxvi.xl.xliij.xlv.xlvij.lxv.lxvi.lxx.lxxi.lxxij.lxxiij.lxxv.lxxviij.lxxix.lxxx.lxxxi.lxxxij.lxxxiij.

De conſtitutionum intelligentia procuranda. li.

SOlicitudo dilectiõis:qua erga curatos afficimur: nos cogit,ut eos ſtricte moneamus:ac in uirtute ſancte dei obedientie:diſtricte iubeamus:quatenus preſentes conſtitutiones noſtras:ſtudeant diligenter per ſe:aut per aliũ intelligentem & litteratum intelligere,ut populo publicandas clara:& intelligibili uoce declarent:ꝙ ſi forte torporem negligentie in ſe obrepere permiſerint: pena condigna ſe nouerint plectendos.

Sequuntur conſtitutiones diuerſas materias reſpicientes uſqꝫ in finem.

De illegitimis non ordinandis. lij.

SI forte:quod reprehenſibile & irreligioſum iudicamus:quiſpiam ex damnato coitu natus:ad clericalem militiam:ſeu eccleſiaſtica beneficia anhelans ſe auſu temerario:noſtra legitima diſpenſatione non prehabita:tonſurari:ordinari:ſeu ad be-

neficium eccleſiaſticum preſentari fecerit:tonſura : ordinatio: ſeu preſentatio:aut beneficij inſtitutio : collatio ſeu electio ipſo iure irrita habeatur. Et ulterius tam ipſe:q̃ ſcienter talem pre ſentans penam duorum ducatorum incurrat.

De bonis mobilibus eccleſiarum uon occupandis. liij.

CEdentibus,uel decedentibus capellanis : rectoribus, uicarijs,ſeu quibuſcunq; beneficia poſſidentibus:quo= rũ inſtitutio preſentatio:confirmatio ſeu prouiſio ad nos de iure uel conſuetudine pertinet bona illorum mobilia ad uſum eccleſie & diuinorum officiorum deſtinata:uel immobilia nullus occupare . ſeu de his quoquomodo auctoritate propria diſponere preſumat : quoniam ad decedentium ipſorum capel= las eccleſias:uel titulos:ſeu eorum ſucceſſores pertinere digno= ſcuntur.Qui uero contra premiſſa fecerit(niſi infra ſpatiũ uni= us menſis taliter accepta cum effectu reſtituerit)penam duorũ ducatorum incurrat . Et nihilominus ad reſtitutionem uiriliter cõpellatur. Saluo tamen ſemper iure ſpolij menſe noſtre epi= ſcopalis:ad quod hanc conſtitutionem extendere nõ intẽdimus.

De ſeculari iudicio non petendo. liiij.

SI ſua(ut Grego.inquit)unicuiq; Epiſcopo iuriſdictio nõ ſer uatur,nihil aliud agitur,niſi:quia per nos:per quos eccleſia ſticus ordo cuſtodiri debet confundantur.Secularem ergo iudi cem nõ adeant clerici proremere ſpirituali.ſed ſibi laycos ſpi= ritualiter obnoxios.clericos q̃litercunq; ciuiliter:uel criminali=

ter obligatos ad iudicium noſtri tribunalis: ſeu uicariorum noſtrorum pertrahant, quia dignum non eſt, ut in ſeculari iudicio tales cauſe agitentur. Si quis uero contra hoc mandatum noſtrum molitus fuerit: penam ducati unius incurrat. ſecularisq; proceſſus inanis & irritus habeatur.

De predicatoribus prohibitis. lv.

CItra ſummi pontificis: uel noſtri ſpecialem licentiam: nullum ad dei uerbum in eccleſijs ueſtris predicandū admittatis. Niſi ordinis predicatorum, uel minorum frater fuerit: moribus & ſcientia preditus.

De hora predicandi. lvi.

VT debitus honor eccleſijs parochialibus prebeatur. In domino ieſu Chriſto oēs predicatores hortamur, ut quando in eorum eccleſijs diebus obſeruari preceptis predicare ſtatuerint: in predicādo hora taliter preueniatur: q̃ unuſquiſq; ſuā poſſit adire parochiam. Ne publicationis monitionum: excōmunicationū: & ceterorū craſſam ualeant allegare ignorantiā.

De preparatione & forma celebrationis miſſarum. lvij.

INter cuncta eccleſie ſacramenta: illud conſtat eſſe precipuum: quod in miſſe officio ſupra mēſam ſacratiſſimi altaris celebratur. Celebraturus ergo miſſā offerat altiſſimo ſacrificium illud de quo pſalmus ait. Sacrificium deo ſpiritus contribulatus. & apoſtolus. exhibete corpora ueſtra

ra ueſtra hoſtiam uiuentem:ſanctam deo placentem, ut ſit rationabile obſequium ueſtrum,mortificantes in altari cordis mēbra ueſtra:que ſunt ſuper terrā:uidelicet immundiciam : libidinē:concupiſcentiam malam:& auaritiam.quatenus mundo corde.& caſto corpore ſacrificetis domino uosmetipſos . Hoſtiā autem uel calicē populo non oſtendat celebrans,niſi ſit hoſtia ipſa integra:integrum quoq; habens circulum.Calix etiam integer pulcher:& nitidus:ac prius uerbis conſecrationis explicite prolatis:que ſic ante illorum oſtenſionē proferri uolumus: & iubemus.In ipſius quoq; calicis conſecratione uinum purū: clarum : non acetoſum : nec fecibus imbutum cum modico aque quantitatis:uidelicet trium guttarū uel circa adhibeatur.

De celebratione miſſarum. lviij.

LEgimus beatum thomam dixiſſe ꝙ quintuplici ratione miſſa eſt quotidie celebranda . prima quia debet ſemp eſſe parata medicina contra quotidiana peccata.ſecunda ut lignum uite ſemper ſit in medio paradiſi . tertia ut nobis chriſtus quotidie ſacramentaliter uniatur:& nos ei ſpiritualiter.quarta ut apud nos ſit iugiter memoria paſſionis eius.quinta ut uero agno loco tritici,quotidie utamur: quem iudei ad ueſperā conuertendi exurient:iuxta illud pſalmiſte.Conuertentur ad ueſperā:ut igitur predicta conſequi ualeamus:quotidie ſaltē unam miſſam hora prima canonica dicta:& ſeptem horas canonicas in eccleſijs collegiatis celebrari ſecundum priora ſtatuta ſancimus:in quibus nulla alia intermiſceantur officia.

De unica tantum miſſa in die celebranda. lix.

CVm felix ſit:qui digne unam miſsam in die poſsit celebra-

re:penitus prohibemus,ne quis ſecundam pro queſtu aliquo celebrare preſumat(niſi in caſibus a iure expreſſis : uel licentia noſtra ſpeciali precedēte)Cōtra facientē pena uiginti groſſorum ; ac ſuſpenſionis a celebratione per menſem ferimus.

De altari & calice fractis. lx.

IVbemus : ꝙ in altari in quo tabula mota fuerit : uel enormiter fracta:uel altari portatili: aut tabula : que infra capſam ligneam ponitur : uel cum calice fracto nullus ſcienter audeat celebrare ſub pena groſſorum ſex.

De ornatu altaris & mundicia ornamentorū eius. lxi.

STudeant eccleſiarū miniſtri altaria ſua candidis & honeſtis pannis ornata tenere:bonos libros:& maxime miſſale:ac pulchra:& decentia ad miniſteriū ornamēta habere.Corporalia quoq; mūda in uaſe ad hoc ſolū deſtinato diligēter cuſtodire.Piſcinās ēt:ſeu purificatoria.ablutiōis apud altare habere qđ qdē nunq̄ poſt miſſe celebrationē diſcoptū relinquatur. De ſynodi congregatione. lxij.

SAncte ſynodi cōgregationē utilē & neceſſariā reputātes, ſtatuimus ut de biēnio in biēniū tertia & quarta feria poſt dominicā:Ego ſum paſtor bonus.Corā nobis:aut uicario ſynodus ipſa celebretur:in qua oēs Abbates Prepoſiti archipreſbyteri Priores:Plebani:ceteriq; rectores eccleſiarū ciuitatis: & dioceſis noſtre Taurinenſis:prius ſaltem generaliter moniti:& prout hactenus cōſuetum eſt perſonaliter interſint cappis:ſeu cotis:aut ſuperpelicijs induti.penā uiginti groſſorū contrarianti ultra penā periurij irrogamus . Cōparentes autē in memoriali redigat ſecretarius noſter actorū:qui pro eo quar-

tos tres tantum exigere poſſit:& non ultra:ſub pena dupli.

De teſtibus ſynodalibus. lxiij.

DE correctione morũ inter cetera in ſynodo ipſa tractetur,& propterea teſtes:qui ſynodales uocantur ordinentur duo:tres uel quattuor ſecundũ amplitudinem parochiarũ:qui iurati diligẽter inquirãt ſup hereticis:Apoſtatis:Sortilegijs:Diuinationibus:Cõiuratiõibus.Blaſphemijs:Publicis adulterijs:Inceſtis Cõcubinatibus:Matrimõijs clandeſtine:uel illegitime cõtractis.Et alijs publicis delictis diuinã maieſtatẽ grauiter offendentibus: Eaq; curatis ſeu rectoribus eccleſiarũ manifeſtẽt:qui poſſint ipſos teſtes ad hoc p eoſdẽ deputandos preſentis cõſtitutiõis auctoritate ad ſic(ut ſupra)perquirendũ.& manifeſtandum cenſura eccleſiaſtica compellere: & ad ſic compellendum:& eiſdem rectoribus per ipſos teſtes omnia manifeſtata nobis q̃ citius poterint manifeſtandum ſub pena excommunicationis precipimus & iubemus.

De ordine cauſa ciuilis criminalis iudicij. lxiiij.

NE antiquos terminos:quos patres noſtri poſuerũt trãſgrediamur,effectũ tenoris illius cõſone ſanctiõis:que incipiebat.Preterea &c.referẽtes cũ additamẽtis et declaratiõibus noſtris infraſcriptis ppetuo uolumus obſeruari,Ne quẽpiã clericorũ:ſeu laycorũ indebite cõtra charitatẽ:& ordinẽ iuris cõtingat infamari.In corrigẽdis igitur exceſſibus:criminibus et delictis ordo infraſcriptus obſeruetur:qui iuri cõſonus eſſe cenſetur.Per accuſationẽ uidelicet:ſeu querellã:Per denunciationẽ:uel ex officio noſtro inquiſitionẽ procedatur.Et ſi accuſa-

tio uel querella precedat:parte opponente:accuſator : uel querellator nõ admittatur,niſi de expẽſis:& iniuria idonee cauerit:ſecundũ iuris diſpoſitionẽ. Si uero denuntiatio fiat:charitatiua precedat monitio. Inquiſitionẽ aũt ex officio noſtro faciendã aliquod omnino iſtorũ precedat.uidelicet aut rei euidẽtia: aut notoriũ uel manifeſtũ:ſeu publicũ:aut iudicialis confeſſio:uel extraiudicialis:facta tamen in manibus commiſſarij ad eã recipiendã deputati:aut infamia publica:ſeu clamoſa inſinuatio: aut ſaltẽ indubitata indicia : que de facili & ueriſimiliter tranſire posſint in publicũ:ſeu notoriũ:aut manifeſtũ. Sed nec tunc quando per inquiſitionẽ ꝓcedetur : uolumus aliquẽ moleſtari uel inquietari,niſi prius per nos:ſeu uicariũ noſtrũ uel aliũ cui commiſerimus:diligẽter & mature uiſe fuerint ſuper premiſſis aut aliquo premiſſorũ informationes:que ante omnia ſumi debeant. Irritũ & inane decernentes ipſo iure quicquid ſecus fiet:ꝙ ſupra ſtatutũ eſt. Auctoritateq; preſentis cõſtitutionis ulterius obnoxios facientes uicariũ:locũtenentẽ:aut delegatũ:uel alias a nobis deputandũ quocũq; nomine nuncupetur,necnõ procuratorem menſe noſtre:ſeu fiſcalẽ:aut inquiſitionis promotorẽ : qui modũ predictũ & ordinẽ pretermiſerint:ut teneantur ad emẽdã damni expenſarũ:& inter eſſe.ac etiã iniurie extimationẽ, ſi petantur,& quilibet ipſorũ teneatur nõ obſtãte quocunq; ſtylo quacunq; ue conſuetudine quantocunq; tempore obſeruata in curia noſtra ꝙ officialium uel uicariorum noſtrorum:tam generalis ꝙ foraneorum:etiam ſi ſententia declaratoria de ipſis conſuetudine & ſtylo a nobis:uel auctoritate noſtra fungentibus de quibus ſemel uel pluries:lata extiterit.

Magnis quippe ſtudijs precauendum eſſe cenſemus: ne fides & domini diſciplina adulteretur. Itaq; Incantationes: Diuinationes: Coniurationes: Faſcinationes: ſeu facturas: Auguria: Sortilegia: & alia quelibet ſimilia, & improbata, ac ſuperſticioſa remedia ad ſanitatem: uel ad quecunq; alia facienda uel obtinenda omnibus chriſti fidelibus noſtre dioceſis ſub excommunicationis pena late ſententie & ducatorum duorum uice qualibet prohibemus. Aliã quoq; penam pro modo culpe qualitate: ſimplicitate, uel ignorantia delinquentis arbitrio noſtro imponere curabimus.

De non communicando cum excommunicatis. lxvi.

ANterioribus & etiam noſtris nouimus obſeruatum temporibus: ꝙ clerici (maxime ſacris ordinibus inſigniti) layci quoq; dei timore poſtergato non uerentur publicis excommunicatis communicare, & (quod deterius eſt) ad miſſas & alia diuina officia admittere & in eccleſijs cum ipſis orare in grauem offenſam maieſtatis diuine. Abijciantur ergo excõicati ipſi a dei eccleſia & fidelium conſortio: quia ſathane traditi eſſe dicuntur. alias qui contra huiuſmodi noſtram conſtitutionem aliquo modo molitus fuerit animaduerſionis noſtre uindicta ſe ꝑ noſtri arbitrio plecti formidet.

De excommunicatorum pena. lxvij.

QVoniam temeritatis auſus leuiter non eſt attendendus. Statuimus, ut omnes qui uſq; hactenus ſuſtinuerũt. & (quod abſit) in futurum ſuſtinebunt ultra mẽſem excommunicationem a iure inflictam, & poſtea per ſententiã declaratam, uel aliam ab homine promulgatam, pro ſecũdo menſe ſoluat in manibus exactoris noſtri groſſum unum monete ſabaudie: & deinceps de menſe in menſem duplicetur pena. Qui uero more pharaonis indurato corde per unum annum ſuſtinere ueritus non fuerit, ſuſpectus de hereſi eo ipſo habeatur. Et ideo ut uideatur an in tenebris uel luce ambulet. de fide catho. coram nobis reſpondere teneatur.

De quibus monitiones generales concedantur. lxviij.

NE uileſcat excõmunicationis auctoritas propter multa: que in monitionibus generalibus excõmunicationum inſeruntur: quandoq; propter importunitatem petentium & quandoq; propter imperitiam ſcriptoris. Iubemus ut deinceps nulla monitio: ſeu excommunicatio cõcedatur, niſi pro occultis in quibus non deficit ius, ſed probatio uel occaſio occulti peccati: aut etiam contra potentiores a quibus uериſimiliter uel de facili quis non poſſet iuſtitiam conſequi eius quod ſibi debetur. Et pro damno: ſeu debito excedente ualorem ſex groſſorum: aliter autem factam: ſeu conceſſam monitionem uel excõmunicationem irritam & inanem fore decernimus. Niſi doloſe plures damnum inferrent, quo caſu licet unus per ſe nõ damnificauerit uſq; ad ualorem predicte quantitatis: uolumus tamẽ

omnes inſolidum & quemlibet ipſorum monitione & excommunicatione ligari: donec parti leſe integre fuerit ſatisfactum. Non confidat tamen aliquis propterea ſe eternalem penam euaſurum, ſi infra dictam ſummam reſtitutione non facta damnum proximo intulerit.

De queſtoribus. lxix.

EX antiquis inſtitutionibus & nouella cōſtitutione noſtra comprehenſum eſt, ne queſtor aliquis cuiuſcūq; pij loci ad aliquas indulgentias publicandas ſanctuaria: ſeu reliquias populo demōſtrandas per eccleſie rectorem admittatur abſq; noſtrarum literarum conceſſione ſpeciali. Sub pena quattuor ducatorum. A quo quidem queſtore etiam per nos licentiato nihil ab eccleſiarum rectoribus uel etiam eo ſpōte aliquid offerente recipiatur. Niſi quod laudabilis & antiqua conſuetudo introduxerit. Qui uero ſine predicta noſtri licentia queſtor inuentus fuerit cum omnibus ſuis bonis mobilibus ad nos uelociter deducatur.

De ſpectaculis in locis ſacris prohibitis. lxx.

EX communicationis mucrone ac duorum ducatorū pena percutimus eos: qui decetero preſumpſerint in eccleſijs: cimiterijs: uel alijs locis ſacris choreas ducere, ludos & alia quecunq; inhoneſta ſpectacula facere. quoniam ea multum abominabilia & reprehenſibilia iudicamus.

PRiſcis pro ſua reuerentia manentibus inſtitutis. Sub excommunicationis pena clericis & laycis prohibemus. Ne dum diuina myſteria fiunt & officia eccleſiaſtica celebrantur audeant in eccleſijs diſcurrere: ſeu de ambulare ac impudenter & irreuerenter confabulari. ne ubi peccatorum uenia eſt poſtulanda ibi peccandi tribuatur occaſio. incumbant igitur ibidem omnes tam mares ꝙ femine orationibus tantū: ne, ſicut de templo ementes & uendentes Ieſus chriſtus iratus eiecit, ſic ab eccleſie & fidelium unitate per cenſuram eccleſiaſticam a nobis eijci mereantur.

De ſtando in eccleſia dum diuina celebrantur. lxxij.

COrruptela quedam in pleriſq; locis (ut audiuimus) inoleuit: ꝙ dum miſſarum & ueſperorum diuina officia celebrantur: multi tam clerici ꝙ layci ante fores eccleſie & ſuper cimiterijs de uarijs rebus ratiocinādo morantur. Cui obuiare cupientes: ſub trium groſſorum pena iubemus: quatenus tempore dictorum officiorum in eccleſijs deuote morentur: & non extra. quoniam id irreligioſum & reprehenſibile iudicamus.

De ludis laycis maxime feriato tempore prohibitis. lxxiij.

MVltorum corruptelam eradicare affectantes : ludū taxillorum:chartarum : & azardi ſignanter diebus feſtiuis de precepto maxime in locis publicis:uel in tabernis:aut baraterie domibus execramur.Et prout anteceſſores noſtri in ſuis conſtitutionibus reprobarunt reprobamus. Iubemuſq; ut nullus audeat dictis ludis ſic ut ſupra ipſis feſtiuitatibus maxime cauſa auaricie uacare:quoniam contra dei preceptum eſt:quia(quod deterius eſt)ſepe in illis maledicitur & blaſphematur.Vnde ſi quis auſu temerario contra hanc ſaluberrimam conſtitutionem uenire non formidauerit penam duorum ducatorum uice qualibet incurrat ; cuius tertiam partem denuncianti aſſignamus.

De coitu reprobato. lxxiiij.

DEfandos coitus amputare cupientes : quibuſq; laycis quacunq; dignitate prefulgeant:ſecundū priores conſtitutiones ſub excommunicationis pena late ſententie prohibemus:ne in publico adulterio:cōcubinatu: uel inceſtu etiā occulto:aut cum affine cognationis ſpiritualis ſe carnaliter immiſcere preſumant:ceteris penis a iure & conſtitutionibus ꝓuincialibus in ſuo robore duraturis.Et quia cenſura eccleſiaſtica(maligna etate ſic labente)parum aut nihil apud multos timetur ultra penam predictam pecuniariam decem ducatorū (ut ſupra)delinquenti addimus augendam & minuendam pro modo exceſſus & perſonarum qualitate,pro ut magis uiderimus ad cohertionem expedire.

SI quando fames (ut Hieronymus inquit) aut penuria uel rerum omnium egeſtas opprimit mundum ſciamus hoc ex ira dei deſcendere: qui ſe uidet decimis defraudari. Monemus igitur chriſti fideles: ut decimas ſecundum approbatam conſuetudinem fideliter ſoluant cui ſoluere tenentur. Illum uero qui hanc noſtram ſaluberrimam monitionem contempſerit nullus ſacerdos abſoluat: ſacramq; communionem nõ impendat: nec ad eccleſiaſticam ſepulturam admittat niſi prius de decima (ut ſupra) ſatisfecerit: penam ſacerdos contra faciens duorum ducatorum eo ipſo incurrat.

De uſuris. lxxvi.

CAnceroſo uulneri ignitum ferrum inijcere cupientes. ultra penas canonis: ac conſtitutionis prouincialis ſub interminatione maledictionis eterne quibuſcunq; ꝓhibemus. Ne aliquem contractum uſurarium: feneraticium, ſimulatum, ac alias reprobatum facere preſumant. nec pecuniã eorum alijs tradant ad uſuram: uel alium contractum illicitum exercendum. Et quia uſurarij difficiliter conuincuntur: cum ſoleant eorum contractus paliare: & in occulto facere. Ideo ut eorum uoraginem inſatiabilem reprimamus. Statuimus: ut ille uſurarius manifeſtus reputetur: qui per tres; aut quattuor teſtes iuncta fama publica conuincetur etiam ſi teſtes illi dicant ſibi mutuatum fuiſſe: aut cum eis contractum celebratum dum-

modo iurent, ꝙ per ipſam depoſitionem nullum ſperant conſequi commodum. Contractus quoq; omnes uſurarij reputentur: quia conſuetudo uſuras exercere celebrati ſunt: uel celebrabuntur: licet in prima ſui figura non appareant reprobati: & tantummodo de ſorte facta fuerit per ipſum recipientem refutatio. Eccleſia quoq; uſurarios ad aliquod ſacramentum non admittat: ſed defuncti tradantur canine ſepulture: niſi reſtituerint: aut ſaltem cautionem idoneam de reſtituendo preſtiterint facta prius clara confeſſione de extortis. Clericus uero qui contra hanc conſtitutionem uſurarium admiſerit excõmunicationis ſententiam: ac decem ducatorum penam eo ipſo incurrat.

De intereſſentia contractibus uſurariorum prohibita. lxxvij.

NE quis crimen ſuum commodis alienis impẽdat. Quibuſcunq; prohibemus: ne in contractibus feneraticijs aut alias reprobatis aures pro teſtimonio accommodent: inſtrumentaue recipiant: aut talium contractuum mediatores ſeu proxonete exiſtant. Qui uero huic conſtitutioni auſu temerario contraire preſumpſerint: penam unius ducati ipſo facto incurrant.

De clandeſtinis matrimonijs. lxxviij.

EXperientia: que eſt rerum magiſtra: nos docuit: ꝙ ex clandeſtino matrimonio ſepe plura ſcãdala oriuntur. Nemo igitur deinceps per uerba de preſenti uel futuro: ſecuta copula: matrimonium contrahere & contractui

quouis mō intereſſe preſumat:niſi prius bannis de quibus infra uel ſpeciali noſtra licentia precedentibus:ſub pena excommunicationis & duorum ducatorum ipſo facto per quemlibet cōtrahentium & contractui intereſſentium committenda: Banna autem ſeu monitiones tribus dominicis diebus uel de precepto feſtiuis alta,& intelligibili uoce fiant coram populo in eccleſijs. Et,niſi ſic fiat:rector eccleſie penam decem groſſorum incurrat. Noſtra ſeu uicarij noſtri licētia ſemp in premiſſis ſalua.

De zabra ſecundo nubentibus non facienda. lxxix.

Licet ſecunde nuptie(ſecundum Chryſoſtomum)arguant incontinentiam:licenter tamen contrahuntur apoſtoli auctoritate dicentis. Mortuo uiro mulier nubat in domino. Conſuetudinem igitur illam:quam corruptelam appellamus:qua ſepe ſcandala oriuntur decetero nolumus obſeruari. Et ideo omnibus & ſingulis tam clericis ꝙ laycis prohibemus:ne contra mulieres ſecundo nubentes:zabra(ut aiunt)et tumultus fiant:ſub pena decem groſſorum pro quolibet in zabra ipſa intereſſente.

De eleemoſyna habentibus non largienda. lxxx.

Multos nouimus in anniuerſarijs defunctorum:Confraterijs pentecoſtes:ac alijs largitionibus ad poſcendam eleemoſynam feſtinare:quibus ſua ad uite ſuſtentationem ſufficiunt:unde cum nihil aliud ſit habentibus dare ꝙ perdere:nec illi qui ſua poſſidentes dari ſibi aliquid uolunt ſine

grandi peccato ſuo unde pauper uicturus erat: accipiunt: ut in decretis ſanctorum patrum habetur. Ideo ſtatuimus ne quiſquã ad quaſuis eleemoſynas capeſcendas accedat qui ſubſtantia, uel labore ſuo poſſit ſuſtentari, ſub pena dupli eius quod receperit in egentes diſtribuendum.

De legatis pijs. lxxxi.

QVi pia legata piaſq́ defunctorum uoluntates non exequuntur: uel exequi differunt egentium necatores appellantur. heredibus igitur: fideicommiſſarijs: & alijs executoribus teſtamentorum ſub excommunicatiõis pena iubemus: ut indilate pias diſpoſitiones executioni curent demandare: alias manus noſtri paſtoralis officij imponimus iuxta diſpoſitionem iuris communis & prouincialis conſtitutionis. Notarijs quoq́ heredibus notariorum et alijs ad quos protocolla deuenerint infra menſem poſt preſentis conſtitutionis publicationem: & decetero infra menſem poſt teſtatorum mortẽ nobis in ſcriptis ſub breuibus tranſmittãt omnia legata ad pias cauſas facta. ut ſuper ſolutionibus ipſorum: ubi debentur faciendis de opportuno remedio prouidere ualeamus.

De medicis. lxxxij.

PLures ſine confeſſione ab hoc ſeculo migraſſe cognouimus eo ꝙ nullus (ut aiunt) penitentiam auderet memorare: ne ipſis infirmantibus timor mortis incutiatur: quod quidem quantum irrationabile ſit: & charitati con-

trarium:ſciunt omnes.qui aliqua(quãquã modica ratione)fruuntur. Medicis ergo quibus corpus committitur ſub excommunicationis pena & groſſorum.xx.iubemus:ut cum primum ad infirmos fuerit euocati,ſtatim ante ordinatum antidotũ:ſeu medicamentum cum effectu,omni timore ſeu reſpectu poſtpoſito, conuenienti tamen modo infirmos inducant:ut prius medicũ aduocent animarũ.Cum infirmitas corporis ſepe ex peccato proueniat:dicente domino languido quem ſanauerat: uade in pace & noli amplius peccare:ne deterius tibi contingat.Si quis autem medicorum hanc cõſtitutionem noſtram deſpexerit,ultra penam predictam ſtatuimus:ut ſalarium eis pro cura datum repeti poſſit.& ſi eiſdem non ſolutum ſolui petant hac exceptione repellantur.

De pueris tenellis in lecto non tenendis. lxxxiij.

FRequens quidem:& aſſidua nos querella circunſtrepit,quod licet puerpere mulieres ſepe moneantur: ut pueros lactentes apud eas in lecto non teneant: propter periculum oppreſſionis:tamen dura ceruice monitionibus poſtpoſitis infantes opprimunt in graue ſcandalum & periculum animarum ſuarum:poſtea non curant delictum confiteri.Quocirca prohibemus:ut nulla mulier lactans proprium:uel alienũ infantem in lecto apud ſe tenere preſumat: donec annum integre perfecerit.Sed in cunabulis: uel alio modo ex quo mortis uel oppreſſionis periculum euitetur retineat. Et hi quibus oppreſſionis caſus(quem deus auertat)acciderit reatum ſtatim

proprio ſacerdoti confiteri teneantur: ut illos ſacerdos ipſe ad nos remittere ualeat pro abſolutione & peoitentia ſuſcipienda. Qui uero contra huiuſmodi conſtitutionem noſtram fecerit excommunicationis uinculo ſubiaceat: & niſi reſipuerit irremiſibiliter pena unius ducati ſe nouerit plectendum.

De pecuniaria pena imponenda. lxxxiiij.

PRecepta canonica (quibus eccleſiaſtica regitur diſciplina) nos admonent: ut quos diuinus amor: cenſure quoq; eccleſiaſtice timor a peccato non reuocat: temporali ſaltem pena cohibemus. Propterea pecuniariam penam predictis conſtitutionibus noſtris appoſuimus: quia illã hodie magis timeri experimur: in pios tamen uſus per nos conuertendam. Non tamen ex ea recedere intendimus a penis iuris communis & conſtitutionum prouincialium: ſed negotij & perſonarum inſpecta qualitate illam augere uel minuere pro arbitrio noſtro poſſe decernimus.

LEcte & publicate fuerunt ſupra ſcripte ſynodales. conſtitutiones: per nobilem atq; prudentem uirũ Bernardinum perrachiam de Centallo aule Epiſcopalis ſecretarium in ſancta ſynodo de mandato prelibati. R.d.d. Epiſcopi cõgregata Anno domini. M.D.ij. die aprilis. Quas imprimi iuſſit: obſeruariq; precepit idem. R.d. epiſcopus antiqs cõſtitutionibus ſynodalibus ſublatis De premiſſis quoq; mandatis per dictum ſecretarium (quatenus opus ſit) fieri publicum documentum. Amen.

FINIS.

CONSTITVTIONES SINODALES ADDITE.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS D.D. IO. FRAN. RVVERE

Dei Gratia Epiſcopi Taurinenſis, Exordium ad Clerum.

HOminum genus (preſertim quibus de ſorte domini fieri contingit: quos clericos appellamus) ad bene beateq; uiuendum omnium conditor & redeinptor Chriſtus Ieſus ex nihilo creauit, & fecit. ſed diabolico ſpiritu ſuggerente: effrena habendi cupido inceſſit. hircina libido nata eſt. quibus genus humanum non ſolum damno affectum: ſed omnino perditum iret: niſi conſtans iuſtitia eas & contunderet & reprimeret. Proditur itaq; lex: qua boni premio uirtutis affecti: mali uero ſceleritate eiuſdem coherciti: tranquillo degunt mortales. Hinc honeſte uiuere: alterum non ledere: quod ſuum eſt unicuiq; tribuere: imprimi potentem deum Chriſtum Ieſum: religionem habere docentur: & cō pelluntur. Sane cum poſt conſtitutiones a bone memorie Ioanne Ludouico patruo & predeceſſore noſtro: non minus prouide ꝙ utiliter compilatas: nonnullos de nouo articulos emerſiſſe comperimus: ex quibus animarum periculum imminere: & non mediocrē litigādi materiā aduertimus exoriri. Quare nos

& anima-

& aīarum piculo accurrere,& queſtionis materiā tollere cupiētes:eiſdē cōſtitutiōibus nōnullas alias neceſſario adijciendas putauimus. Has igitur cōſtitutiones ſumma cum maturitate digeſtas ſuſcipite: eaſq; decetero tam in iudicijs ꝙ extra(ꝑut ex earum tenore deprehenditur)uolumus obſeruari & iubemus.

De ſumma trinitate & fide catholica. lxxxv.

SAcroſancte Romane eccleſie ueſtigijs inherentes: ſancimus ne quis de fide catholica publice uel priuatim audeat diſputare:niſi licentiam a nobis,uel uicario prius obtinuerit.aut ſedis apoſtolice priuilegio(ſaltem in corpore iuris clauſo)ſuffultus extiterit.de quo nobis:uel prefato uicario antea fidem faciat.contrarium preſumentes ipſo facto excommunicamus,& inſuper noſtro arbitrio puniendos relinquimus.

Quod clerici non deferant ueſtes breuiores aut longiores talo. lxxxvi.

QVoniam extrinſece ueſtis qualitas: intrinſeci ſenſus preſumptiue ſolet eſſe preſagium:ideo ordinando decernimus: ꝙ nullus clericus in ciuitate uel dioceſi noſtra Taurinenſi degens: ueſtem aut breuiorem aut longiorē talo deferat. Preſumentem contrarium pena unius ducati pro qualibet uice mulctamus.

Quod lectio conſtitutionum habeatur pro monitione etiam ſpeciali. lxxxvij.

QVoniam utraq; cenſura cauetur certum ulterius certiorandum non eſſe: idcirco preſenti conſtitutione ſancimus. q; ſi aliquis clericus in ciuitate noſtra Taurinenſi: uel eius dioceſi reperiatur publico concubinatus crimine irretitus: tabernam, aut aliquam negotiationem a iure reprobatam exercens: q; ſola lectione harum conſtitutionum cenſeatur monitus: etiam ſi trina requiratur monitio.

Quod nullus ad ſacros ordines promoueatur ad onus ſui patrimonij. lxxxviij.

SAcerdotalis ordinis dignitatem conſeruare (Immo quantum cum deo poſſumus augere) cupientes ſtatuimus, q; nemo noſtre ciuitatis taurini uel dioceſis clericus: ad aliquem ſacrum ordinem euehi anhelans: ad onus ſui patrimonij ꝓmoueatur: niſi ſui iuris extiterit. & per teſtes uel publica documenta, nobis uel uicario noſtro pro tempore exiſtenti fidem fecerit: ſe tantum in bonis habere: quantum ad condignam unius presbyteri ſuſtentationem ſatis ſit.

Quod Clericus ad eccleſiam parochialem non admittatur: niſi prius a nobis aut uicario noſtro examinatus fuerit et admiſſus. lxxxix.

ANimarum ſaluti quantum cum deo poſſumus (ut tenemur)

proſpicientes:tenore preſentium precipimus & mandamus: ꝙ nullus clericus ad regimen parochialis eccleſie deputatus per inferiorem a nobis:niſi per nos aut uicarium noſtrum examinatus extiterit:pariter & admiſſus recipiatur.ſub pena decem florenorum.& alias arbitrio noſtro puniendus.

De modo exequendi litteras epiſcopales. xc.

UT falſitas arceatur:& lites per calumniã exquirẽtes cõfundantur:precipiendo mandamus.Quod ſi cõtingat aliquas litteras citationis:excommunicationis: aggrauationis:reaggrauationis:aut quaſcunq; alias: alicui clerico in ciuitate aut dioceſi noſtra Taurinenſi, noſtro nomine preſentari contra aliquem exequendas:ꝙ tunc clericus in ſignũ executionis a tergo litterarum ſibi preſentatarũ:manu ſua propria talia uerba apponat.Ego clericus talis:executus ſum preſens mandatũ(prout in albo continetur)contra talem:anno tali:die tali:&c.Alias littere nõ cenſeantur executioni demandate:& clericũ q predictis nõ obedierit:ad oĩa dãna expenſas & intereſſe parti leſe obligamus.Et inſuper in decem florenis eundem punimus nobis applicandis:& in pios uſus conuertendis:diſtrictius inhibẽtes ne quis clericus prefatus ultra quartos duos groſſi pro executione litterarum: pro maledictione uero groſſos tres accipiat:contrauenıẽs totum quod acceperit ſoluenti reſtituat.noſtre uero curie groſſos decem pro pena qualibet uice inferat.

CVratorum malitiam contundentes: pariter quoq; ius ſuum unicuiq; miniſtrantes: ordinamus q; ſi alicui curato ſiue uicecurato presbytero noſtras litteras ab eo exequendas preſentari contigerit: & ante q; totali & omnimode executioni eas demandauerit. a tergo ſcribat ſe eaſdem executioni demandaſſe: eum in penam falſi incidiſſe declaramus. eadem pena prefatos ſacerdotes: aliquas perſonas certiorantes: ut & tertius iure ſuo fraudetur: & animaduerſionē eccleſiaſticam deludant innodamus.

De cathedratico ſoluendo. xcij.

OMnibus cathedraticum ſoluere debentibus precipiendo ordinamus: quatenus infrā quindecim dies poſt feſtum paſchatis immediate ſequentes ſoluiſſe debeant. qui autem hanc noſtram ordinationem omiſerit obſeruare: penam quatrupli ſe omnino incurriſſe intelligat. Exactoribus uero diſtrictius inhibentes: ne quid ultra conſuetum exigant uel recipiant: quod ſi ſecus fecerint preter reſtitutionem: quā ei a quo extorſerint faciendam uolumus: etiam eos pena decem ducatorum auri mulctamus.

De pacto retrouendendo improbato. xciij.

EX debito paſtoralis officij: gregem nobis commiſſum accuratius circūſpicientes: aduertimus nonnullos

contractus emptionis & uenditionis celebrantes : pacta de retrouendendo eis apponere:ut uſuram quam(utraq; pagina prohibente)directo accipere nequeunt: legibus fraudem inſerendo extorqueant. Ex quibus etiam non parua litigādi materia exoritur. Nos huiuſmodi cauſis pro uiribus occurrentes:animoſq; exquirentium lites pariter compeſcentes:utraq; communia obſeruari cupientes, preſenti conſtitutione decernimus:pactum de retrouendendo contractui emptionis appoſitum:ſi cū prefixione termini infra quem res non redimatur paruitate quoq; pretij interueniente:& preſertim ſi a ſoluto alias fenerari apponatur:uſurariam eſſe cenſemus:taliterq; cōtrahentes:conſtitutionibus uſurarios punientibus ſubijcimus & legamus.

Quod clerici habentes curam animarum annuum ſanctum chriſma & ſanctas unctiones poſt feſtum paſchatis accipiant. xciiij.

CVratorum negligentiam punientes:animarumq; ſalutem pariter q; ſacrorum canonum obſeruantiā procurantes:ſancimus ꝙ omnes curati infra qndecim dies poſt feſtum paſchatis immediate ſequētes:debeāt per ſe uel per idoneum nuncium petere ſacrum chriſma : oleum cathecuminorum & ſacre unctionis ſingulis annis, antiquas uero unctiones iuxta ſacri canonis ſtatutum deuote in eccleſia concrement:hāc noſtram conſtitutionem non obſeruantes ipſo facto excommunicamus:& in ſuper pena decem ducatorum auri punimus nobis applicandorum & in pios uſus conuertendorum.

De feſto innocentium & alijs ſpectaculis in eccleſia non faciendis. xcv.

DVm auctoritatem eccleſie: diuiniq; cultus conſeruare (Immo quantum cum Deo poſſumus augere) querimus: inuenimus nonnullos in uilipendium eccleſiaſtice dignitatis: ſe induere ueſtibus pontificijs: paſtoraliaq; geſtare: & eo uecordie procedere: ut populo benedicere non erubeſcāt que ſpectacula in eccleſia celebrata innocentium dignitatem conſeruare ſtudentes: eorumq; ſcurrilitatibus occurrentes: preſenti edicto ſancimus. Ne quis cuiuſq; conditionis exiſtens: in templis ſeu cimiterijs: aut quocunq; loco ſacrato huiuſmodi ſpectacula audeat celebrare. Contrarium facientes: ſi clericus ſit: pena ſexdecim ducatorum nobis applicandorū: & in pios uſus conuertendorum ferimus. Si laycus exiſtat: duodecim ducatis mulctamus.

De clerico percuſſore. xcvi.

QVoniā cita manus ad percutiendum: impuri atq; impatientis animi ſolet eſſe perſagium. Id circo ſtatuendo decernimus: ꝙ ſi contingat aliquem clericū noſtre ciuitatis Taurinenſis: uel eius dioceſis: aliquam perſonā minus modeſte percutere: ultra ſalutiferam monitionē pro prima percuſſione a canone irrogatam: eundem pena decem ducatorum auri, nobis applicandorum: & in pios uſus cōuertendorum ferimus. Quam inmoderatam percuſſionē noſtro ſeu uicarij no-

ſtri arbitrio iudicandam relinquimus.

De officijs ſecularibus. xcvij.

PReſenti conſtitutione ſancimus: ꝙ aliquis clericus abſq; noſtra ſeu uicarij licentia officium publicũ: uel officialitatem alicuius ſecularis rectoris: ſiue communitatis: uel uniuerſitatis: in ſeculari curia exercere, uel ſuſcipere decetero non preſumat ſcilicet, cõſulatus tabellionatus, guaſtaldie. Camparie, uicariatus: uicedominatus. uel quouis alio nomine appelletur: ſeu eccleſiaſticis officijs derelictis: uel clericali poſtpoſita honeſtate, ad caualcatas: uel ſtipendia ſeu ſeculares exercitus. Et maxime non coactus, cum armis publice: ut laycus accedere: & ſe talibus immiſcere cetibus non preſumat niſi in caſibus a iure premiſſis. delinquentem uero in aliquo premiſſorum: uel aliquibus talibus ſe immiſcentem excommunicationis ſententia innodamus. Hanc uero penam ad alios: qui aſſumpſerint arma cum aliquibus laycis pro ſuis iuribus, aut eccleſie proprie ſeu pro ſui defenſione inſultum expectantes ſeu de licentia noſtra, uel uicarij noſtri nolumus extendi.

Quod clerici non ſint tutores uel procuratores laycorũ nec patiantur conueniri coram iudice ſeculari. xcviij.

INuiolabiliter ordinamus: ꝙ nulla perſona eccleſiaſtica (niſi in caſibus a iure premiſſis) fideiuſſoris: uel procuratoris officium exerceat. ſeu tutoris uel curatoris alicuius layci in curia ſeculari abſq; noſtra uel uicarij no-

ſtri licentia:nec queꝙ̃ debentẽ gaudere eccleſiaſtico priuilegio uel clericali conueniat:ſeu trahat uel trahi procuret ſuper aliquo ſub examine iudicis ſecularis. Trahens uero contra canonicas ſanctiones a iure ſuo cadat. Iudicatumq̃;non teneat: & iudex.ſit ex nunc iudicandi poteſtate priuatus. Exercente uero aliquod officium predictorum contra conſtitutionem preſentẽ in centum ſolidum papien. decernimus condemnandum in pios uſus ad arbitrium noſtrum uel uicarij noſtri conuertendis.

De pena conſpirantium contra ſuum antiſtitem uel conſentientium ut in ſede ſua eſſe non poſſit. xcix.

LIcet ad coniuratorum & conſpiratorum nequitiã reprimendam per canonem ſit prouiſum: ipſorum tamẽ uerſutia nos cogit diuerſa remedia adhibere contra illorum callida figmenta:que conantur quotidie inuenire. Ea propter irrefragabiliter prohibemus:ne aliqua perſona eccleſiaſtica uel ſecularis:aut uniuerſitas ſiue collegium ciuitatis uel dioceſis noſtre Taurinenſis coniurationem: conſpirationem: colligationem:Iuramentum:aut conſilium:uel tractatum facere:uel inire preſumat in exterminium:uel perſecutionem:ſeu iacturam:uel mortem:aut expulſionem:captionem: uel derobationem:ſeu quietis uel ſtatus ſubuerſionem noſtram:uel alterius epiſcopi pro tempore exiſtentis:aut quomodolibet cõſentire uel operam dare ꝙ inſultus fiat in nos ut a ſede:ſeu ciuitate propria temere expellamur:uel quicꝙ̃ fiat aut ordinetur:ſeu dicatur propter quod nos ipſi habeamus formidare in ciuitate uel

noſtra dioceſi:ubi uoluerimus cum noſtris familiaribus reſi-
dere & iuriſdictione noſtra uti libere:& officio paſtorali:uel
propter quod noſtri officiales ſiue uicarij:uicariatum et offi-
cialitatem eis commiſſos non poſſint libere exercere.Et ꝙ cō-
munitas ſiue uniuerſitas ciuitatis noſtre aut dioceſis equidē nō
permittat quicquā dici uel fieri:nec patiatur aliquē de ipſa uni-
uerſitate ſeu ciuitate uel dioceſi uel eius rectorem ſiue maiorē.
nec dicat uel faciat per ſe ipſam propter quod nos ſeu epiſco-
pus pro tempore ſedens non poſſit in ipſa Ciuitate & dioceſi
ſiue ſede propria reſidere ſecure & nos & noſtri officiales
ac iurisdictione & officio ſuo uti libere & in totum . ſingula-
res uero perſonas contra hoc attemptantes in aliquo premiſſo-
rum(ſi clerici fuerint) ex nunc in his ſcriptis excommunica
tionis uinculo innodamus:& beneficijs eccleſiaſticis : que intra
noſtram ciuitatem & dioceſim Taurinenſem obtinuerint pri-
uamus perpetuo alijs libere conferendis,Ipſoſq; inhabiles red-
dimus ad queuis eccleſiaſtica beneficia obtinenda.Si uero layci
fuerint eoſdem excommunicationis uinculo decernimus ſubiace-
re ipſos in obitu priuantes ex nunc eccleſiaſtica ſepultura . &
clericos qui ſepulture talium interfuerint ſuſpendimus a diuinis:
ipſorumq; familiaribus dicta excommunicatione durante parti-
cipationem diuinorum & ſacramentorum interdicentes in pe-
na huiuſmodi damnatorum.Ciuitatem autem eiuſq; ſuburbia et
ſingulares perſonas de ipſa ciuitate & ſuburbijs:que per tres
menſes permiſerint:ſeu paſſe fuerint nos aut epiſcopum pro tē-
pore exiſtentem exulare extra illam propter timorem uel me-

tum: ſeu minus aliquorum: uel alicuius de noſtra ciuitate uel dio ceſi: aut aliquorum reſidentium in eadem. Et nos aut antiſtitem pro tempore exiſtentem non reuocauerint, aut nobis plene non cauerint ac prouiderint de noſtra ac noſtrorum familiarium ſecuritate: & indemnitate perſonarum & rerum ac procurauerint cum effectu, ut in ipſa ciuitate & dioceſi ut nobis placuerit poſsimus morari libere & ſecure: & noſtrum officium exercere: & uti libere bonis noſtris, & noſtri uicarij & procuratores in ciuitate ipſa ſecure manere: & ſua officia plene ac libere exercere: & per ipſam dioceſim ubi eis expedierit nos aut antiſtes pro tempore exiſtens poſtq́ de ipſa Ciuitate ſic exierit: & per ſuas litteras ſiue nuncios in aliquibus eccleſiis ipſius Ciuitatis uel dioceſis: ſeu Ciuitatum circumadiacentium: uel per ſe ipſum menſibus predictis elapſis publice proteſtatus fuerit ſeu inſinuari fecerit & proponi, q́ in Ciuitate propria non audeat ſecure morari niſi ſibi aliter caueatur ex nũc generaliter eccleſiaſtico ſupponimus interdicto illuc, uſq; ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruando. Supradictas uero ſententias: & prolationes excommunicationum: et interdicti ſtatuimus & mandamus per noſtram ciuitatẽ & dioceſim: ſepisſime & in pluribus eccleſiis publicari per noſtros officiales: aut ex parte ipſorum & per quoſcunq; clericos: & prelatos qui ſuper hoc ex parte noſtra fuerint requiſiti. Inobedientes quoq; ac rebelles ſuper his ab ingreſſu eccleſie ſuſpẽdimus in his ſcriptis. Illos quoq; qui poſtq̃ excõmunicati propter predictorum aliquod fuerint publice nunciati diſtulerint

ultra annum nobis aut antiſtiti pro tempore exiſtenti ſatisface-re de exceſſu:& abſolutionem etiam obtinere:ſuſpectos iudicamus de heretica prauitate,& tanq̃ contra ſuſpectos de hereſi: ipſo anno elapſo fore per eccleſiam procedendum. Et ſi predicta Ciuitas ſiue uniuerſitas per annum in ipſo ſcelere duxerit perſiſtendum.omnes clerici & religioſi cuiuſcunq; ordinis uel dignitatis:ſeu conditionis exiſtant in deteſtationem tanti facinoris,completo anno predicto infra duos menſes proximos, poſt dictum annum exeant:ſiue egrediantur de eadem ciuitate & eius diſtrictu:& dioceſi uſq; ad ſatisfactionem condignam: nullatenus reuerſuri. Alioquin ipſo facto ſinguli predicti clerici & religioſi ſententiam excommunicationis incurrant: niſi per nos,aut antiſtitem pro tempore exiſtentem fuerit eis terminus,prorogatus,ad premiſſorum quoq; executionem, cognitionem,diſſecutionem & examinationem:procedi poſſe decernimus per uicarium noſtrum proprium & quemlibet iudicem competentem.

De iuramento preſtando ab eo qui inficiatur ſe clericum detinere uel rem eccleſiaſticam. c.

SEpe contingit:q̃ aliqui calliditate utentes,clericos detentos per eos uel ipſorum conſilio uel mandato inficiantur ſe illos minime detinere:aut capi illos feciſſe: uel bona uel res eccleſiaſticas.quibus clerici ſpoliari ſe aſſerũt minime habuiſſe:cum ſuper illorum clericorum relaxatione: ut rerum reſtitutione per iudicem eccleſiaſticum admonentur: p-

pter quod plerunq; facti probatione deficiente de ſuo dolo & inficiatione uidentur commodum reportare. Ea propter ad huiuſmodi malicias refrenandas ſtatuimus & firmamus q; contra quoslibet iudices: & rectores ac perſonas quaſcunq; tam: eccleſiaſticas q̄ ſeculares inficiantes ſe ipſos clericos : & perſonas eccleſiaſticas nullatenus detinere: ſeu cepiſſe, uel res ipſas eccleſiaſticas minime habuiſſe: poſtq̄ hec ab eis per iudicem eccleſiaſticum requiruntur aut damnum aſſeruerint ecclesijs: ſeu clericis ſuper ipſius emendatione requiſiti uel iniuriam minime intuliſſe per curiam ecclesiaſticam Cenſura ecclesiaſtica procedatur ac si conuicti uel confeſſi eſſent: ſuper his que inficiantur coram iudice competenti si preſtare noluerint ad arbitrium ecclesiaſtice curie sine dilatione: ſolemniter: & publice iuramentum: q; illum clericum & perſonam eccleſiaſticam: aut rem eccleſie: ſeu clerici ſuper cuius relaxatione: aut reſtitutione monentur: aut impetuntur q; in ſuam poteſtatem non habent nec habuerint. Et reſtituendi non habent aliquam facultatē ſeu quod damnum: uel iniuriam ſuper qua impetuntur per ſe: uel alium nullatenus intulerunt ipſoq; iuramento nequaq̄ obſtante poſsit contra ipſum & alium qui clericum & predicta bona detinere dicatur procedi per ecclesiaſticum iudicē: ac si iuramentū ipſum preſtitum non fuiſſet.

Quod excōmunicatus declaratus per unum curatum per omnes de diocesi & ciuitate denuncietur: & de penis inferentium minas excommunicatori uel denunciatori. ci.

QVamto excommunicationis uinculo:innodati per plures eccleſias nunciantur & maxime in illis quibus degunt:uel traxerunt originẽ tanto maiori Rubore confuſi ad ſatiſfactionem facilius inducuntur. Quapropter in preſenti concilio iuuiolabiliter ordinamus ꝙ cuiuslibet parochialis eccleſie rector ciuitatis & dioceſis noſtre ſuper hoc humiliter requiſitus:omnes & ſingulas perſonas excommunicationis uinculo innodatas & terras ſuppoſitas interdicto,per ſententiam uel excommunicationem uel conſtitutionem:aut requirentis:per eccleſias ciuitatis & dioceſis ſepiſſime denunciari faciat excõmunicatas : & terras & loca interdicto fore ſuppoſitas per ipſum requirentem : ſiue conſtitutionem ubi magis uiderit expedire : ſuper quibus denunciandis excommunicatis : & interdictis fuerit per ipſius excommunicatoris : uel iudicis nunciandorum litteras requiſitus in proprios ſubditos non obedientes eius monitionibus , ſuper hoc cenſuram eccleſiaſticam exercendo : & quod ceſſari faciat a diuinis in eccleſia & parochia Ciuitatis uel dioceſis . quamdiu ibi moram traxerint illi excommunicati uel interdicti. De quibus denunciandis contingerit ſibi ſcribi:ſi ſuper hoc fuerit requiſitus. hec uero recuſantem ab ingreſſu eccleſie durante in obedientia ſua . in his tepidum & remiſſum a diuinis officijs ſuſpendimus in his ſcriptis. Quaslibet uero perſonas cuiuſcunqꝫ conditiõis extiterint tam eccleſiaſticas ꝙ̃ ſeculares:que impedierint uel prohibuerint minis:terroribus:uel alio quouis modo illas perſonas excommunicatas publice nunciari:uel publicari fore loca ali-

qua ſuppoſita eccleſiaſtico interdicto: de quibus denũciandis ex-communicatis uel interdictis per litteras alicuius uicarij mandari contigerit: aut ipſis excommunicatoribus uel denunciatoribus: ſeu excommunicationes ipſas: uel interdictum ſeruantibus in perſonis uel rebus: aut in conſanguineos: uel amicos illorum ꝓpter hoc minas, damna, iniurias uel moleſtias irrogauerit: uel conſenſerit irrogari excõmunicationis uinculo decernimus ſubiacere: a qua nullatenus abſoluantur: niſi ſatisfecerint: de tanta audacia & exceſſu: uel cautionem idoneam de ſatisfaciẽdo preſtiterit. Iuxta ipſius excõmunicatoris arbitrium nec tradantur eccleſiaſtice ſepulture: de qua ſatisfactione & abſolutione: ſeu cautione: apparere uolumus publicum inſtrumentum ante abſolutionem aut ſepulturam ipſorum excommunicatorum huiuſmodi preſentandum. Illoſq; clericos: & prelatos ciuitatis uel dioceſis: qui pluries per diuerſa dierum interualla admoniti: uel legitime requiſiti per litteras patentes: uel nũtios & iuratos proprij uicarij denuntiare ex parte ipſius iuxta requiſitionẽ eandem: excomunicatas perſonas illas ſuper quarum denuntiatione, ut premittitur, admoniti fuerint, excommunicationis uinculo decernimus ſubiacere. Ad premiſſorum quoq; cognitionem & penarum executionem decernimus ex officio iudicis uero poſſe procedi.

De male ablatis incertis non diſpenſandis ſine dioceſani proprij licentia. *ciij.*

Onſyderantes: ꝙ pleriq; manus extendunt minus licite

ad ea:que non pertinent ad eoſdem ,ſiue poteſtatis terminis non contenti. Statuimus, perſonas quaſcūq; religioſas eccleſiaſticas, & etiam laycas publice & peremptorie admonere. Quod decetero aliqua male ablata incerta: de quibus ignoratur uel ignorabitur: quibus ſit reſtitutio facienda per ſe uel per alios non diſtribuant: uel diſpenſent uel audeant, mandent uel procurent: uel conſentiant per aliquem diſpenſari: aut illa ſibi approprient: uel uſurpent: ſiue pro ipſorum: male ablatorum reſtitutione legata ſint hactenus uel in poſterū relinquētur abſq; noſtra: ſeu noſtri uicarij in ſpiritualibus: aut alterius ſuper hoc per deputati expreſſa licentia & conſenſu. clericos uero religioſos & ſeculares: qui exceſſerint in premisſis ab ingreſſu eccleſie & celebratione miſſarum ſuſpendimus in his ſcriptis: laycos uero qui contra hoc exceſſerint uſq; ad ſatisfactionem condignā decernimus non admittendos ad eccleſiaſtica ſacramenta: nec ad auditionem ſeu participationem diuinorum.

De cautione recipienda ab uſurario pro reſtitutione uſurarum & a quibus debet recipi. ciij.

VSurarum uoraginem utriuſq; teſtamēti pagina reprobatā intra totā noſtrā ciuitatē & dioceſim reprimere cupientes. Decernimus & mandamus ac declaramus conſtitutione preſenti omnes & ſingulos uſurarios manifeſtos quouſq; de uſuris, prout patiuntur facultates eorum plenarie, ſatisfecerint: uel de ſatisfaciendo pro ſuarum uiribus facultatum idoneam preſtiterint cautionem: fore priuatos communione al-

taris:& eccleſiaſtica ſepultura : & ipſorum oblationes recipi non debere:ipſoſq; nõ debere abſolui per aliquem.& teſtamẽta que fecerint non ualere: ſed eſſe irrita ipſo iure.Omnes etiã religioſos:& alios clericos qui huiuſmodi uſurarij communionem altaris.ideſt corpus uel ſanguinem chriſti tradiderint: aut eorum oblationes receperint:ſeu eos ad eccleſiaſticam admiſerint ſepulturam fore ſuſpenſos:ab executiõe officij proprij eccleſiaſtici:donec ſatisfecerint iuxta noſtri aut uicarij noſtri arbitrium.decernimus quoq; huiuſmodi omnes religioſos & clericos qui tales uſurarios abſoluerint.aut ad altaris communionem admiſerint:ſiue teſtamentis : aut ſepulture interfuerint eorundem:aut eos receperint ad eandem : ſatisfactione plenaria non premiſſa:uel non preſtita de ſatisfaciendo idonea cautione. Tabelliones etiam de mutuis & contractibus uſurarijs uel in fraudem uſurarum initis inſtrumenta conficientibus ſcienter : eiſdem quibus uſurarij penis ſubiacent ipſo facto ſubiacere.Ceterum in recipiendo ab uſurarijs penitentibus de uſuris reſtituendis cautionem predictam:hanc ſtatuimus formam haberi & obſeruari cautelam:ut ante omnia per confeſſionem uſurarij : uel librum : ſeu libros rationum eius aut per teſtes ſiue inſtrumenta:uel alio aliquo modo : fiat certa & manifeſta ſi poterit receptarũ quantitas uſurarum:non earum tantum que ab incertis ſed etiam que a certis perſonis & uniuerſitatibus ſunt extorte Si uero id non ſit bene poſſibile arbitretur & moderetur quantitatem huiuſmodi,ac etiam taxet ille qui ex uigore preſentis conſtitutionis receperit huiuſmodi cautionem: ſecundum rectam

ctam conſcientiam ex fama: ſeu uicinorũ teſtimonijs aut ex coniecturis alijs ueriſimilibus informandam. Quo facto promittat ſolemniter. & iuret uſurarius in manu eius qui, ut premittitur, hanc recepit cautionem nomine curie epiſcopalis, intra cuius limites uſurarius ipſe eliget. & uice ac nomine quorum intereſt uel intererit: ꝙ ipſe uſurarius ſi poterit per ſeipſum commode: uel per alium ſeu alios: & in preſentia uicarij: ſeu officialis dicte curie ad hoc deputati per eũ uel deputandi. aut alibi de expreſſa tamen licentia dicte curie ſine difficultate qualibet de uſuris a ſe receptis: uel ab alio eius nomine: & a patre ſuo: ceteriſq; perſonis: quarum hereditas ad ipſum peruenerit. & de alijs male ablatis: & illicite acquiſitis uſq; ad quantitatem ipſam taxatam, & eſtimatam & etiã maiorem ſi de maiori conſtiterit ſatisfaciet his, a quibus uſure huiuſmodi ſunt extorte: & alia illicite acquiſita: aut eorum heredibus ſi poterunt reperiri, Et ꝙ reſiduũ taxate quantitatis & aliorũ male ablatorum, & illicite acquiſitorũ per eũ: de quo nõ conſtabit cui ſit reſtitutio facienda uel nõ inueniantur pſone aut heredes eorum quibus debent reſtitui libere conſignabit dicto uicario: ſeu officiali paupibus erogandũ: iuxta bene placitũ noſtrũ aut noſtri uicarij. Et ꝙ nihil dicet: ꝓponet: allegabit nec faciet p ſe uel alium ꝓpter quod ipſius curie ꝓceſſus ſentẽtie uel precepta impediantur: uel quomodolibet retardentur circa ipſarũ uſurarũ et illicite acquiſitorũ reſtitutionẽ. Speciali pacto ſe & ſuos heredes & bona ſua obligans ad predicta firmiter obſeruanda: et expreſſe renũciãs ſpecialiter et generaliter omnibus exceptio-

nibus: iuribus & defenſionibus ſecun lũ uoluntatẽ & expreſſio nẽ recipientis huiuſmodi cautionẽ. Et pro his reſtituẽdis, attendendis & aſſignãdis: & reſtitutiõe & ſatisfactiõe, ut premittitur, faciendis: obliget oĩa bona ſua recipienti cautionẽ eandem nomine dicte curie. & illa ſe conſtituat precario nomine a dicta curia omnimodam licentiam concedens & liberam poteſtatem ipſi curie recipiẽti cautionẽ predictã ea apprehendendi, diſtrahẽdi & alienandi de ipſis bonis libere et impune auctoritate propria: nõ obſtante contradictione: cuiuſq;: quicquid: in quantũ, et ubi uoluerit ipſa curia uſq; ad integrã reſtitutionẽ et ſatisfactionẽ predictorũ & eorũ occaſiõe. Renunciet etiã ipſe uſurarius & remittat uſuras ſibi ꝓmiſſas & relaxet iuramẽta & obligationes ſibi factas pro eis ſoluẽdis et nõ repetẽdis uel nõ recipiẽdis. Inſup iuret uſurarius ipſe ꝗ libros et q̃ternos rationũ ſuarũ: & inſtrumẽta uſuraria & in fraudẽ uſurarũ cõfecta que habet & habebit & habere poterit quouis mõ dabit et cõſignabit ꝑ ſe uel aliũ dicto uicario ſeu eius certo nũcio abſq; dolo & diminutiõe: ſiue ſubtractione aliqua facienda: faciat ẽt uſurarius ipſe ꝑ ſe uel aliũ ad arbitriũ dicti uicarij ſeu officialis depoſitũ in totũ uel in parte, de eo qđ eſtimatũ fuerit & taxatũ ꝓ uſuris extortis, ut liberius reſtitutio ipſa fiat. qđ quidẽ in cautione ipſa precipimus ſtipulari. Preterea ipſe uſurarius exhibeat: et det pignora ſi poterit, uel ſaltẽ fideiuſſores idoneos ꝓ predictis oĩbus obſeruandis. qui ad predicta una cũ heredibus ipſius uſurarij uel ẽt ſine eis eodẽ mõ: & ſub penis & tenoribus predictis ſe obliget ſpecialiter & inſolidũ & bona ſua: ſe

cōſtituen. principales debitores in predictis qui ꝓmittant ſe facturos, & curaturos cū effectu ꝙ ꝓmiſſa p uſurariū obſeruabuntur: uel de ſuo reſarcient uel attendēt. Renūciantes epiſtole diui adriani beneficio nouarū conſtitutionū. de fideiuſſo. & oī alij defenſiōi, & iuri ad arbitrium recipien. cautionē eandē ex ſpeciali pacto et preſtātes: ut uſurarius ſimile iuramentū. Hoc autē ſtatuimus fieri corā ſacerdote parochiali ubi degit uſurarius & teſtibus fide dignis, ac notario publico p dictā curiam deſtinando uel eius mādato: qui recipiat predictas ꝓmisſionem: obligationem: renunciationē: cautionem & cetera ſupradicta. & de his conficiat publicū inſtrumentū. Verum ſi uſurarius morte preuentus, uſuras nō mandauit reſtitui; & hanc cautionē preſtare nō potuit: ſi tamē ſigna cōtritiōis ī eo apparuerint manifeſta, ſibi nō denegetur eccleſiaſtica ſepultura, heredibus eius: ſeu cōſanguineis uel amicis preſtantibus huiuſmodi cautionē ſecundum modum & formā ſecundum qđ uſurarius ipſe preſtare ut premisſimus, tenebatur. Alioquin nō recipiatur ad eccleſiaſticā ſepulturā. Deniq; cautionē ipſam per dioceſim recipiat rector parochialis eccleſie: in qua uſurarius habitabat tpe mortis ſue: uel notarius publicus in ſacerdotis abſentiā uel defectū. Sacerdos autē qui ipſum cōtra premiſſa tradiderit eccleſiaſtice ſepulture ſuſpenſionis ſententiā ab eccleſiaſtico officio ipſo facto incurrat. Illos nāq;, quo ad predicta, declaramus uſurarios maniſeſtos: de quibus p parochiā quā habitauerint: uel ubi morantur, fama publica fuerit extorſiſſe uſuras: aliquibus iurantibus etiā in abſentia uſurarij corā ipſo uicario uel ſacerdote illum

uſurarium extitiſſe:uel de quibus recepiſſe uſuras per confeſſionem ipſorum:aut per idonea argumenta : ſeu alio modo legitimo apparebit. Preſentem uero conſtitutionē.ſub excōmunicationis pena precipimus quemlibet rectorē parochialis eccleſie ciuitatis & diocefis Taurini necnon prelatos collegiatarum eccleſiarum uſq; ad quattuor mēſes recipere in ſuis ecclesijs retinere:& p plebanos:ſeu prelatos plebium:capellanos eccleſiarum,plebanatuum bis in anno recitare . ita q; forma predicta plenius obſeruetur:& ad hoc officiales noſtros eoſdē cōpelli precipimus & mandamus. Rectores quoq; iudices ſeculares et eorū officiales quarumcūq; terrarū & locorū eiuſdē ciuitatis & dioceſis noſtre ſup uſuris eiſdem uſurarijs ſoluendis petendis. & exigendis contra quoſcunq; audientiam exhibentes & compellentes aliquos ad ſoluen. uſuras alicuius ſtatuti municipalis uel conſuetudinis : que dicenda eſt potius corruptela uigore directe uel indirecte cogendo aliquos ad penam aliquam perſoluen. uel ut tantam quantitatem pecunie debitores ipſis mutuent:tanto tēpore quanto uſurariorū pecuniā tenuerint uel fraudē aliquā adhibentes excommunicationis ſententia innodamus.

De monitione facienda a presbyteris pro legatis ad pias cauſas.

Animarum ſaluti uolentes ſalubriter prouidere. Statuimus & firmamus. q; Rectores et capellani eccleſiarū noſtre ciuitatis & dioceſis taurini habētes parochiāos:ſiue collegiate eccleſie fuerint ſiue nō, ſingulis duobus

menſibus: aut tribus: ſaltem ſemel in eccleſijs ſuis: monitionem publice faciant & generalem noſtri parte ſub excommunicationis pena mandantes ꝙ omnes & ſinguli notarij qui teſtamẽta codicillos uel aliam ſcripturam fecerint hactenus a quinqꝫ annis citra: uel facient in futurum ſuper ultimis uoluntatibus defunctorum: illa uicario noſtro ſeu rectori uel capellano ſiue capitulo notificare debeant. & tradere tranſcripta in forma publica infra dies quindecim a monitione huiuſmodi numerãdos ſuper his que legata: ſeu relicta fuerint ad pias cauſas & pro male ablatis incertis animarum ſalute ac remedio peccatorum: ne diu remaneant inſoluta: de ipſis ſcripturis ab eccleſiaſtica curia ſolutionem pro modo ſcripture debitam recepturi: & ꝙ ipſi Rectores & capellani legata ipſa eccleſiaſtice curie: uel noſtro uicario ꝙ̃ citius commode poterunt debeant intimare. necnon pro male ablatis incertis infra dies quindecim poſtquã ad notitiam quouiſmodo peruenerit eorundem. Alioquin Rectores & capellani predicti per nos ſeu uicarium noſtrũ puniantur qui monitionem omiſerint nobis uel uicario noſtro faciendam. Notarios uero qui predictis monitionibus & requiſitionibus non paruerint cum effectu excommunicationis ſententia innodamus.

De caſibus nobis tantummodo reſeruatis & ad nos referẽdis pro penitentia obtinenda. .cv.

Non ſolum in foro contentioſo: ſed etiam penitentiali nullus ligari poteſt a non ſuo iudice, uel abſolui. Et quidem peni-

tentiales caſus exiſtunt pontificibus ſolummodo reſeruati.in quibus de iure inferioribus poteſtas non competit abſoluendi. Ea propter ne quisq̈ in ſacerdotio conſtitutus. circa eos aliquem decipiat:uel potius ſemetipſum. Preſenti conſtitutione ſancimus. q̈ nullus presbyter nobis inferior cuiuſcunq̈ dignitatis extiterit regularis:aut etiam ſecularis exiſtens abſq̈ auctoritate ſeu licentia noſtri ſeu uicarij noſtri niſi ſuper hoc apoſtolice ſedis priuilegio uel conſuetudine approbata uel a iure fuerit premunitus ad infraſcriptos caſus penitentiales ſuam poteſtatem extendat uel ſe aliquatenus intromittat de aliquibus in foro penitentiali(articulo mortis dumtaxat excepto)in ipſorum aliquo abſoluen. Contrafacientem uero presbyterum ſecularem uice qualibet in uno ducato condemnamus in pios uſus conuertendo. et abſolutionē talē tanq̈ a nō ſuo iudice factā decernimus nullā eſſe.Caſus reſeruati nobis uel Vicario noſtro,Primo uidelicet de excommunicato quacunq̈ excommunicatione lata ab homine conſtitutione aliqua uel a iure.De heretico credente:fautore uel participatore ſcienter hereticorum & eorum etiā defenſore:De committente inceſtum in tertio gradu uel proximiori conſanguinitatis uel affinitatis cum muliere profeſſa regularem obſeruantiam.De adulterium perpetrante.De contrahēte matrimoniū de facto:cum alia:prima uxore uiuente: et etiam e conuerſo.De ſuſcipiente ordinem ſacrum:uel regularem religionem intrante ſine licentia uxoris:ſeu inuita uxore poſt carnalem copulam ſubſecutam.De coniuge qui in mortem alterius cum effectu fuerit machinatus.De muliere ex alio uiro filium

concipiente quem uir proprius ſilium crediderit eſſe ſuum, & tanq̃ ſilium proprium illum nutrierit: uel ſibi partum ſupponẽte alienum. & ad hoc dantibus auxilium conſilium uel fauorẽ. De uirginum ui oppreſſarum uel raptarum defloratore. De perimẽte prolem propriam ſtudioſe uel etiam negligenter. de contrahente clandeſtine matrimonium. De procurante ſterilitatem in aliquo uel ſe ipſo quomodolibet uel abortũ. De perpetrãte homicidium ſponte: facto, precepto: conſilio exhortatione uel alio quouiſmodo. De cõmutatione uoti uel etiam iuramenti. De his criminibus pro qbus eſt ſolemnis penitentia iniungenda. De ſimoniaco quouiſmodo preterquã ſi mentalis fuerit. De illo qui detinet illicite eccleſiaſticum beneficium aut bona eccleſiaſtica ſiue iura. De incendiarijs & famoſis latronibus. De ſacrilegium committente: & eccleſiam publice polluente: ſanguinis aut ſeminis effuſione: cuiuſcunq; De uiolatore eccleſiaſtice libertatis. De tonſuratis uel promotis ad ordinem per alienum epiſcopum ſuo antiſtite inconſulto. De celebrante cum excommunicato: ſuſpenſo aut etiam interdicto. De presbytero reuelante peccatum in foro penitentiali ſibi detectum. De celebrante cum ſacris ueſtibus ſolemniter & publice in ſacro ordine quẽ non habet. De clerico fornicatore publico uel concubinario manifeſto. De clericis recipientibus in cimiterio eccleſie: uel eccleſia ſepelientibus corpus ſcienter alicuius excommunicati: ſuſpenſi uel etiam interdicti. De abutente hoſtia ſacra, oleo uel chriſmate. De ſortilegis diuinis: & demonum incantatoribus. De falſum teſtimonium proferente uel falſante: uel falſari procurante

inſtrumentum uel ſigillum alienum uel litteras in preiudiciū alicuius. De irrogante patri uel matri enormem iniuriam corporalem, De blaſphemante publice Deum uel ſanctos eiuſdē. De ſuſpenſis, excōmunicatis uel interdictis, aut trāſgreſſoribus cōſtitutionum noſtrarum. Religioſos uero ſe intromittētes auctoritate propria de abſolutione in aliquo caſuum predictorum, cum poteſtate careant, ab audientia confeſſionum ſuſpendimus uſq; ad ſatiſfactionem condignam iuxta noſtrū uel uicarij noſtri arbitrium faciendam. Ceterum ſi committentes aliquod de premiſſis criminibus uel delictis a confeſſore moniti & indurati uenire aliquo modo noluerint ad nos: ſeu uicarium noſtrum pro obtinenda penitentia ſalutari: ſi peccatum eorum occultum fuerit confeſſor ipſe ꝙ citius commode poterit noſtrū uel uicarij noſtri expoſcat conſilium ſuper illos. Si autē peccatū ipſum fuerit manifeſtum: peccatores ipſi uenire preciſe ad nos uel uicarium compellantur: niſi forent in mortis articulo conſtituti: uel impedimento longi temporis itineris ſiue perpetui prepediti. quo caſu confeſſor ipſe noſtri uel uicarij conſilium requirere teneatur.

Contra ſeculares poteſtates capientes nuncios eccleſiaſtice curie & nō ꝑmittentes litteras ipſius curie ſibi preſentari. cvi.

Deteſtande quorundam improbitatis ſecularium poteſtatum abuſum non uerentium capere in diſpendium eccleſiaſtice libertatis: & animarum ſuarum periculū: nuncios eccleſiaſtice curie cum per eam ipſis poteſtatibus eoſdē

nuncios deſtinari contingit. ac etiam impedire ut ſibi littere eccleſiaſtici iudicis preſtari non poſſint: propter que clericorum iugulationē & rerum eccleſiaſticarum amiſſionem peruenire experti didicimus reprimere cupientes. Preſenti ualitura perpetuo conſtitutione ſancimus. ſacro concilio approbante: ꝙ nullus deinceps Vicarius, Rector, Poteſtas, uel iudex ſecularis quocunq; nomine: cuiuſcunq; ſtatus: uel conditionis extiterit Ciuitatis, caſtri, uel burgi, uille, uel loci intra noſtram Ciuitatem et dioceſim conſtitutus, uel ipſorum locorum uniuerſitas nuncios ſeu nuncium noſtrum ſeu uicarij & officialium noſtrorum uel alterius eccleſiaſtici Iudicis, uel eius curie capere uel capi facere: uel mandare ſeu permittere per miniſtros eius id fieri: ſeu in perſona uel bonis offendere quoquomodo preſumat: cum ad eos pro aliquibus litteris preſentandis uel ambaſiatis faciendis per nos ſeu uicarium & officiales noſtros predictos: uel per eccleſiaſticum iudicem fuerint deſtinati nec impedire quouiſmodo quin ipſi nuncij poſſint ad eos pro predictis accedere faciendis: Et litteras predictas preſentare eiſdem. Alioquin in ſingulares perſonas quaslibet contra facientes excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Vniuerſitatem uero cuius omnes: uel maior pars: uel conſiliarij contrafecerint eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Poſtq̄ autem nobis ſeu uicario uel alteri eccleſiaſtico iudici ſupradicto conſtiterit de malitia prefata & conceptu uicarij, rectoris, poteſtatis, et miniſtri ſuperius poſitorum uolumus & mandamus eis ambaſiatam, monitiones, litteras, & proceſſus: quos idem ſecularis uicarius: ſiue

rector:ſiue uniuerſitas : uel alij (ut ſuperius eſt expreſſum) ſibi fieri: uel pronunciari prohibuit: & que contra ea ſubſequenter fuerint faciendi per eccleſiaſticum, dicta excommunicatione durante, publicare: & publicari facere in ſuis ecclesijs : uel alijs locis: ſeu loco uiciniori pro ut ſibi poſſe fieri commodius uiſum fuerit expedire: Et ipſe monitiones, littere, et proceſſus & earum pene: ſic arctent uniuerſitates eaſdem & iudices ſeculares & alios ſupradictos ſicut eis preſentate & facte perſonaliter extitiſſent.

De criminibus inducentibus excõmunicationẽ ipſo facto. cvij.

ENormia crimina ſunt penis grauioribus ferienda Ea propter cõſtitutione preſenti ſub obteſtatione diuini iudicij prohibemus: ſuper hoc admonitionem generalem publicam & peremptoriam in preſenti noſtro ſynodali concilio facientes. Quod aliquis intra noſtram ciuitatẽ: uel diocesim ſponte homicidium facto: aut conſilio: ſeu mandato uel ſuggeſtione perpetrare decetero non preſumat : aut malicioſe in damnum cuiuſꝙ ignem apponere per ſe: uel per alium in alterius meſſes eccleſiam ſeu domum : ſeu doloſe incendium committere: uel arſuram: aut eccleſiam aliquam: ſiue eius hoſtia: ſiue muros irrumpere uiolenter: uel in ea ſacrilegium perpetrare : ſeu depredationem uiolentam facere: uel rapinam. Aut permanere publice in adulterio: uel inceſtu : ſiue cum muliere profeſſa regularis obſeruantie rem carnalem committere inhoneſtam: uel ſcienter in aliqua cauſa: ſiue in alterius preiudiciũ fal-

ſum teſtimoniũ proferre:uel falſum in iudicio in damnũ cuiuſꝗ ſcienter facere & procurare : ſeu ſuadere:uel conſulere fieri ſacramentum:uel falſum conficere:uel confici facere in diſpen=dium alicuius:ſiue ſcienter falſis inſtrumentis uti in alterius dã=nũ:ſiue litteris uel ſigillis:uel quicꝗ dare alicui ad comedendũ, bibendũ:uel potandum : aut quicꝗ operari aliud propter quod non debeat concipi ſoboles aut naſci:ſiue abortum fieri: aut in=cantationes ſortilegia auguria:uel maleficia : que facture ſiue preſtigie:uulgariter appellantur:uel inuocationes demonũ pro futuris:uel iam cõmiſſis aliquibus preſciendis. Sacerdotes inqui rentes perſonas cum quibus confitens fatetur ſe peccaſſe.Con=trafacientes uero in aliquo premiſſorum ex nunc in his ſcriptis excõmunicationis uinculo innodamus. Necnon executores : ſeu fideicommiſſarios decedentium : & ipſorum heredes qui ultra menſem poſt terminum:ſeu terminos ab ipſis decedentibus con=ſtitutos:uel qui poſt obitum defunctorum ultra menſes nouẽ ubi terminus non fuerit a decedente appoſitus,diſtulerint ſoluere le gata uel iudicata p ipſos decedẽtes ad pias cauſas ſiue ad ope=ra pietatis:uel conſignare:uel ſoluere officialibus ſup hoc per nos deputatis uel in poſterum deputandis.Et ea que pro male ablatis incertis:uel ipſorum reſtitutione legari:ſeu relinqui con tigerit in futurum:uel hactenus ſunt legata : a die publicationis preſentis in tam legatis ꝗ iudicatis ipſis nouem mẽſibus nume=randis . Decernentes quod ipſorum executorum ultra dictum tempus negligentia & heredum defectus in ſoluẽdis:& diſtri=buẽdis predictis per uicarium ſeu officiales noſtros ſupplean=

tur. Nihilominus contra ipſos fideicommiſſarios & heredes p ipſos uicarium & officiales ut predicta exequantur & ſoluantur compulſione omnimoda adhibenda cum inuocatione, ſi opus fuerit, brachij ſecularis. Mandantes conſtitutionē preſentem: ſeu eius ſubſtantiam: & effectum per parochiales eccleſias Ciuitatis noſtre: & dioceſis in locis populoſis ab ipſorum prelatis: & Rectoribus ſingulis annis coram ſuis parochianis pluries publicari.

De fide facienda inſtitutionis poſt acquiſitam poſſeſſionem beneficij coram dioceſano uel eius uicario. cviij.

SEpe contingit ꝙ aliqui minus canonice alij uero p eos ad quos non pertinet. inſtituūtur de facto ad eccleſias & prebendas, pleriqꝫ autem ad illas temeritate propria ſe intrudunt. & propter ignorantiam facti. & eorū que in facto conſiſtunt dioceſis proprio epiſcopo hoc ignorante eccleſie ipſe per tales detinentur illicite occupate. Qua propter uolentes periculis animarum obuiare: & inſtitutiones illicitas corrigere (ſicut decet) aditumqꝫ intruſionibus precludere remedijs opportunis: preſenti conſtitutione ſancimus: ꝙ quicunqꝫ decetero in Ciuitate ſiue dioceſi adipiſcetur, uel obtinuerit dignitatem, rectoriam, beneficium, uel prebendam alicuius eccleſie regularis, monaſterij: hoſpitalis uel alterius pij loci ab alio q̄ꝫ a nobis: ſeu uicario noſtro generali etiam ab alio inſtitutus uel confirmatus fuerit, ad nos ſeu uicarium noſtrum generalem: poſtq̄ꝫ ipſius eccleſie dignitatis, hoſpitalitatis, rectorie, be-

neficij,uel prebende poſſeſſionē pacificā habuerit:uel per eum ſteterit quominus eā fuerit aſſecutus: q̄uis de illa queſtionem in iudicio patiatur,faciat plenam fidem infra menſem de ſua inſtitutione exhibens ſui tituli inſtitutionis iura corā nobis ſeu preſato uicario generali inſpicienda & examinanda per eū:& perſonaliter cōpareat corā eo iuſto impedimento ceſſante ut qualis ſit inſtitutus huiuſmodi cognoſcatur.Qui uero legitimo et neceſſario impedimento ceſſante predicta contēpſerit ſeu neglexerit obſeruare:a perceptione fructuū & adminiſtratione uſq; ad ſatiſfactionē condignā ipſius dignitatis,rectorie beneficij , & prebende ex uigore preſentis concilij ſit ſuſpēſus:& ſi per annum ſic ſuſpenſus permanſerit:ipſa dignitate,rectoria,prebenda,beneficio ſit priuatus alij perſone libere cōferenda.Et ad conſcribendum talium iurium productiones & preſentationes per dioceſim noſtrā deputari iubemus unum uel duos notarios fide dignos:ceteris hec ad ſcriben.licentia interdicta ne in his fraus aliqua committatur.

LEcte & publicate fuerunt ſupraſcripte ſynodales conſtitutiones:per egregium uirum Vincentium Perachiam:epiſcopalem Taurinēſem uiceſecretariū in ſancta ſynodo de mandato prelibati.R.D.D.epiſcopi congregata:Anno domini milleſimo quingenteſimo decimo quarto:die undecima octobris.Quas imprimi iuſſit : obſeruariq; precepit idem.R.D.Epiſcopus de premiſſis mandans per dictum uiceſecretarium (quatenus opus ſit)fieri publicum documentum. Amen.

Sequitur tabula.

De altari & calice fractis. Conſtitutio.lx.
De altaris ornatu & munditia ornamentorum. lxi.
De alieno parochiano non admittendo. xxviij.
De armorum delatione prohibita. iiij.
De baſtardis ſecum non tenendis. x.
De baptiſmatis forma ſeruanda. xl.
De baptiſmate non differendo. xliiij.
De blaſphemijs & ſceleratis iuramentis. xiiij.
De bonis mobilibus eccleſiarum non occupandis. liij.
De cathedratico ſoluendo. xcij. De caſibus epiſcopo reſeruatis. cv.
De cautione ab uſurario recipienda. ciij.
De celebratione miſſarum. lviij.
De clericorum uita & morum obſeruatione. i.
De clericis ſenibus mulierum prohibita retentione. ix.
De clericis laycorum penis ſubmisſis. xvi.
De clandeſtinis matrimonijs. lxxviij.
De clericis non admittendis ad eccleſiam parochialem niſi prius examinatis & approbatis. lxxxix.
De clerico percuſſore. xcvi.
De clericis ut non ſint tutores uel procuratores laycorum. xcviij.
De concubinatus prohibitione. vij.
De confesſione penitentiali. xxiij. De confesſione celanda. xxv.
De eonfesſione populo memoranda. xxvi.
De confeſſoribus admittendis. xxvij. De compatribus admittendis. xli.
De conſtitutionibus habendis & publicandis. xlix.
De conſtitutionum intelligentia procuranda. li.
De coitu reprobato. lxxiiij. De cota a clericis deferenda. xxxvij.
De cognationis & mortis probatione. xlij.
De curato qui ſcripſerit ſe executum fuiſſe litteras. xci.
De criminibus inducentibus excommunicationem ipſo facto. cvij.
De curatorum circa infirmos diligentia. xxxix.
De chriſmate & ſacra unctione habendis. xciiij.
De delictorum inſinuatione facienda. xxx.
De decimis. lxxv.
De diſcurſu in eccleſijs prohibito. lxxi.
De ebrietate uitanda. v.

De eleemoſyna habentibus non elargienda. lxxx.
De excommunicatorum pena. lxyij.
De excommunicationis litterarum preſentatione. xxxij.
De excommunicatis in cartulario deſcribendis. xxxi.
De excommunicatis per unum curatum per omnes de dioceſi denunciandis. ci.
De ferijs. xly.
De feſto ſancti ſecundi celebrando. xlyi.
De feſto innocentium & alijs ſpectaculis in eccleſia non faciendis. xcy.
De fide facienda inſtitutionis poſt acquiſitam poſſeſſionem beneficij. cyiij.
De habitu & extrinſeca clericorum demonſtratione. ij.
De habitu in ſacramentorum miniſtratione habendo. xxxyi.
De hora predicandi. lyi.
De inuentario bonorum conficiendo. xxxy.
De incognito ſacerdote non admittendo. xxxyiij.
De ieiunijs. xliiij.
De illegitimis non ordinandis. lij.
De intereſſentibus contractibus uſurariorum. lxxyij.
De inquiſitione per curatos facienda. xxix.
De iuramento preſtando ab eo qui inficiatur ſe clericum detinere. c.
De legatis pijs. lxxxi.
De lectione conſtitutionum habenda pro monitione ſpeciali. lxxxyij.
De litteris non publicandis. xxxiij.
De litterarum epiſcopalium exequendi modo. xc.
De ludis prohibitis. xiij.
De ludis laycis feriato tempore prohibitis. lxxiij.
De male ablatis incertis non diſpenſandis. cij.
De medicis. lxxxij.
De monitionum publicatione aliquando omittenda. xlyiij.
De monitione facienda pro legatis. ciiij.
De mulierum conuerſatione prohibita. yiij.
De negotiatione non exercenda. xi.
De non communicando cum excommunicatis. lxyi.
De obſeruatione in conuiuijs tenenda. yi.
De officijs ſecularibus. xcyij.
De ordine criminalis iudicij. lxiiij.
De ordinibus ſacris non dandis ad onus patrimonij. lxxxyiij.
De paruipendentibus ſacram communionem. xxii.
De pacto de retrouendendo. xciii.

De pena conſpirantium in antiſtitem. xcix.
De pecuniaria pena imponenda. lxxxiiii.
De penis inferentibus minas excommunicatori. ci.
De poteſtate eligendi confeſſorem. xxiiii.
De preuidendis ſcripturis ante celebrationem. xviii.
De presbytero in cura non ſubſtituendo. xxxiiii.
De preparatione celebrationis miſſarum. lvii.
De predicatoribus prohibitis. lv.
De priuilegii clericalis priuatione. xv.
De publicandis caſibus epiſcopo reſeruatis, qui notantur in centum quinque conſtitutione ex additis. xlvii.
De pueris tenellis in lecto non tenendis. lxxxiii.
De quibus monitiones generales concedantur. lxviii.
De queſtoribus. lxix.
De ſacramento euchariſtie uenerando. xxi.
De ſacramentorum conſeruatione. xx.
De ſcripturarum lectione frequentanda. xvii.
De ſeculari iudicio non petendo. liiii.
De ſpectaculis in locis ſacris prohibitis. lxx.
De ſecularibus poteſtatibus capientibus nuncios eccleſiaſtice curie: & non permittentibus litteras ipſius curie ſibi preſentari. cvi.
De ſynodi congregatione. lxii.
De ſortilegiis & ſuperſtitionibus. lxv.
De ſtando in eccleſia dum diuina celebrantur. lxxii.
De ſumma trinitate & fide catholica. lxxxv.
De taberna fugienda. xii.
De tabellionatus officio presbyteris prohibito. xix.
De teſtibus ſynodalibus. lxiii.
De tonſura deferenda. iii.
De ueſtibus deferendis a clericis. lxxxvi.
De uſuris. lxxvi.
De unica tantum miſſa in die celebranda. lix.
De zabra ſecundo nubentibus non facienda. lxxix.

FINIS.

DOMINICE ORATIOINIS

EXPOSITIO.

PATER Quis facile animo complectatur, quanta ſit domini circa nos dignatiõis & bonitatis ubertas, qui nos ſic uoluerit orationem incipere, ut deum, patrem uocaremus, quod non ita obuium eſt in ueteri teſtamento, quum nuſquam ſit præceptum filiis iſrael, ut deum patris nomine orando compellarent, ſed domini nomen eis inſinuatum eſt, tanquam ſub lege ſeruientibus. Et quum Abraham uir tantus (qui amicus dei appellatus eſt) nõ abſq; multo tremore ad dominum loquutus ſit, Le indigneris (inquiens) domine, ſi loquar ad dominum meum, quum ſim puluis & cinis, quis noſtrum deum illum conditorem, ſeruatorem, ac moderatorem omnium, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris patris nomine compellare, & ſibi honorificentisſimum nomen filii Dei, quo nec angelos ſuos dignatus eſt, uendicare auſit, niſi ille iusſiſſet? Dicimus ergo, Pater non tam quod pater noſter non ſit ratione creationis, ſecundum id quod dictum eſt. Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit, fecit, & creauit te, ſed magis ratione adoptionis, qua gratuita pietate, nos in filio ſuo renatos, in huius nominis honorem adoptauit, ac poteſtatem fecit, quotquot eum receperunt, ut filii Dei fierent, qui credunt in nomine eius. Serui peccati eramus, infeliciter geniti ex Adam. Satanæ filii eramus, cuius inſtinctu, ad omne malum ſolicitabamur. Sed ille, quum adhuc inimici eſſemus, noſtri miſertus, per unigenitum filium ſuum Ieſum, nos a ſeruitute peccati exemit, a patre diabolo emancipauit, a morte perpetua et æterni regis hæreditate uindicauit, ac per fidem & baptiſmum in filii ſui corpus inſitos, tum in nominis, tũ in hæreditatis conſortiũ adoptare dignatus eſt, hæredes quidẽ dei. fratres aũt et cohæredes Chriſti. Et ne quid diffideremus eius erga nos pietati pignus quoddã ſuæ erga nos charitatis cœlitus immiſit in animos noſtros, ſpiritũ filii ſui, qui ꝓpulſato timore ſeruili, nõ ueretur in cordibus noſtris clamare, Abba pater.

DIcendo ergo, Pater, In primis gratias agimus deo, ꝙ non ex meritis noſtris, ſed gratuita adoptione facti ſimus filii dei, profitemurq; hoc nomine nos in baptiſmo renunciaſſe patri diabolo, & omnibus operibus eius, iamq; ſolum noſſe & habere cœpiſſe nos patrem, qui ſit in celis, cuius potentia, conditi ſumus, quum nihil eſſemus, cuius bonitate reſtituti ſumus, quum periſſemus, cuius ſapientia gubernamur et conſeruamur, ne reuoluamur in exitium. In quam ſententiam dominus dixit: Nolite uocare uobis patrem ſuper terram. unus eſt enim pater ueſter, qui in cœlis eſt. Secundo, quum homines dicunt deo, Pater, excitatur in ipſis ſupplex affectus, maxime ubi deũ in propheta ſic loquentem rememorant. Si ego pater, ubi eſt honor meus? Itidem erga deum charitas accenditur & inardeſcit. Quid enim charius filijs debet eſſe, quã pater? Quædam inſuper impetrandi præſumptio ac fiducia cordi innaſcitur. Quid enim

deus non det iam filijs petentibus, quum hoc ipſum ante dederit ut filij eſſent? Poſtremo, quum dicimus, Pater, nõ uulgaris cura animũ noſtrũ tangere debet, ne tali patre ſimus indigni, ut quoquomodo nos nobis placemus de deo patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis, ut conuerſemur quaſi dei templa, ut deum in nobis conſtet habitare. Nec degeneret actus noſter a ſpiritu, ut qui cœleſtes & ſpirituales eſſe cepimus, ut non niſi ſpiritualia & cœleſtia cogitemus & agamus. Nã ut inquit Paulus, Non eſtis ueſtri. Empti enim eſtis pretio magno, exultate & portate deum in corde & corpore ueſtro, Cauendum ergo nobis eſt a peccatorum ſordibus, quia quamdiu peccamus, deſideria carnis inſequentes ac perficientes in filiorum dei catalogum aſſcribi non poſſimus, ipſo domino dicente: Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Cauendum quoq;, ne indigna filijs petamus mobilia cum Iſmahele filio ancillæ, ſed immobilia cum Iſaac filio liberæ. Si filium dei te credis, pete quæ te deceant accipere, & illum dare. Si carnalia petis, ut in illis cõquieſcas, quomõ illa præſtabit, quæ quum habeas, præcepit ut contẽnas? Quaſi filij ergo agere debemus, ut qd eſſe dicimur, actu, & re ipſa pbemus.

NOSTER. *Parum eſt noſſe deum eſſe patrem niſi & eum patrem noſtrũ eſſe credamus, in quem omnẽ curã & ſolicitudinem noſtram proijciamus, quia ipſi ſit cura de nobis, quos natiuitate gratiæ ſpiritualis reparauit ac ſanctificauit & ſibi in filios aſſerit, tales etiam nos perpetuo habiturus, niſi tamen noſtra culpa ac malitia ab eo recedendo & mandata eius ſpernendo, filij eſſe ceſſemus, quales erant Iudæi, ad quos dominus dixit. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris ueſtri uultis facere. Et in Eſaia: Filios genui & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt. Secundo dicimus, pater noſter, non meus, quoniam hoc ſoli Chriſto conuenit, qui eſt ſolus filius per naturã, nos aũt filij ſumus per gratiam & cõmunẽ adoptionẽ. Quod diſcrimẽ ut oſtenderet Chriſtus: Vado (inquit) ad patrẽ meũ, & patrem ueſtrum. Nõ dicit, uado ad patrem noſtrũ, ſed meũ & ueſtrum, quoniã ipſe per naturã, nos per gratiã filij. Tertio, noſter, dicimus, ut fraternæ charitatis, in quã nos Chriſtus uocauit, meminerimus, et uota concordiæ emittamus. Ante omnia enim pacis doctor atq; unitatis magiſter, noluit ſigillatim & priuatim precem fieri, ut quis cum precatur, pro ſe tantum precetur. Non enim dicimus, pater meus, qui es in cœlis, nec panem meum da mihi hodie, nec dimitte mihi debita mea, nec & ne inducas me in tentationem, aut libera me a malo, ſed publica nobis & communis eſt oratio. Non ergo ſibi quiſq; peculiariter rogat aliquid, ſed omnes uelut unius corporis membra, eodem animata ſpiritu, quod in commune expediat, poſtulamus, & ubiq; non tam propria commoda, quam proximorum petimus, Quo quidem precandi modo Chriſtus diſcordias & inimicitias interimit, & ſuperbiam reprimit, & humanarum rerum inequalitatem (quod ad deum attinet) proſus expellit. Non enim conuenit, ut fratres ambitione, odio, liuore, contentione inter ſe diſſideant. Vnde quum dicimus, noſter, fraternæ pietatis, charitatis & humilitatis admonemur, iuxta illud Malach. ij. Nunquid non pater eſt unus omnium noſtrum? nunquid non deus unus creauit nos? Quare ergo unuſquiſq; noſtrum deſpi-*

cit fratrem ſuum, uiolans pactum patrum noſtrorum? Superbi phariſei orationē auerſatus eſt dominus, quia non tantum non communi nomine, ſed cum contemptu etiam proximi orauit, dicēs. Nō ſum ſicut cæteri homines, aut ēt hic publicanus Inuitantur ergo hic diuites, & genere nobiles, & quicunq; cæteris in ſeculo præſtant, non ſuperbire aduerſus pauperes & ignobiles, quia ſimul dicunt deo, Pater noſter, quod nō poſſunt uere ac pie dicere, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant. Nemo ergo alium ſpernat, ſed magis pro alio precetur, quum communem patrem ſe in cœlis cum alijs habere fateatur.

QVI ES IN COELIS.

Coelum in ſcripturis, uocabulo generaliter accepto, omnem creaturam dei ſupra nos exiſtente, ſiue corpoream ſiue incorpoream ſignificat, quemadmodū Gen. 1. legimus, deū in principio creaſſe cœlū & terrā, ubi Moſes cœli nomine complectitur omnia quæ ſurſum ſunt, aerem, ignē, corpora cœleſtia omnia, cū ſpiritualibus creaturis, quæ ſunt in cœlis & ſenſibus, noſtris capi nō poſſunt. Terre uero nomine, quicquid deorſum iuxta terrā conſpicitur, cū aquis ipſis terræ cohærentibus, quaſi diceret, quicquid in toto mundo uides uel nō uides, ſurſum ac deorſum initiū habuit, aliquando nō fuit, a deo uno & ſolo de nihilo conditum eſt, dei creatura eſt atq; hoc eſt ſummū dei omnipotentis Encomion ſeu Epitheton, quo dicitur ac appellatur ſubinde in ſcripturis deus, qui fecit cœlū & terrā. Chriſtus itaq; quū nos ad orationē accinctos, hoc proœmio (Pater noſter qui es in cœlis) deū cōpellare iubet, In primis reuocat nos ad uerā cognitionē creationis, ut intelligamus, quiſnā is ſit, quātæ quoq; potētiæ, ſapientiæ ac bonitatis, quē petimus, nēpe deus qui eſt in cœlis hoc eſt, qui ut eſt creator cœli & terræ, ita implet, regit, & gubernat cœlos ac omnia, quæ totius cœli ambitu continentur. Non enim ideo in celis eſſe dicitur, quaſi ipſe cœli ambitu concludatur. Nam de eo Salomon dixit: Quem cœli cœlorum non capiunt, ſed magis quia ſua uirtute cœlos cōtinet, ſuāq; poteſtatē ad omnia extēdit, quēadmodū Roma. xi. legimus: Per ipſum & cū ipſo & in ipſo ſunt omnia. Et Ephe. i. Qui omnia in omnibus adimplet. Itidē Coloſſ. i. Omnia in ipſo conſtant. Nec ideo in cœlis eſſe cōmemoratur, quaſi nō etiā ſit in terris, quū ubiq; ſit deus, & maieſtatis ſuæ plenitudine, omnia quātūlibet ēt abdita & occulta penetret, ſicut ſcriptū eſt: Nonne cœlū & terrā ego impleo? Et in Pſal. cxxxviij. Si aſcendero in cœlū tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, Etenim illuc manus tua deducet me &c. Et eccleſia ex Eſaia canit: Pleni ſunt cœli & terra maieſtate gloriæ tuæ. Sed potiſſimū in cœlis eſſe dicitur, q̃ ſua ineffabilis diuinitatis maieſtas, poteſtas, et gloria magis reluceat in cœleſtibus. Quēadmodū Dauid ait: Cœli enarrāt gloriā dei, & opera manuū eius annunciat firmamētū. Et idcirco etiā precaturi, ad orientem uertimur, unde cœlum ſurgit, non q̃ ibi ſolum ſit deus, alijs mundi partibus relictis ſed ut animus noſter ad deum tanquam ad omnium excellentiſſimam, maximamq; naturam cœli opificem erigatur. Nec ſine ratione pluraliter

dicimus, in cœlis, ut omnes intelligant, quia ipſe in omnibus & ſuper omnia eſt, omnia gubernans ac moderans. Hæc autem contemplatio (quam nobis hiſce uerbis Chriſtus inculcat) cor dilatat, animum eleuat, ac ſummam ingenerat fiduciam. Nam ſi talem habemus patrem, cuius omnia plena ſunt, qui cœlos moderatur ac regit, quare nō rogemus omnia ab illo, qui omnia poteſt, & cuius ſunt omnia? ut Apoſtolico certe ſpiritu dixerit Iacobus: Omne datum optimum et omne donum perfectum de ſurſum eſt. Et rurſus: Si quis indiget, poſtulet a deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Confirmamur quoq; hiſce uerbis, ne ab ulla creatura, propitio deo, timeamus. Nam quum patrem noſtrum, qui filiis ſuis non poteſt non bene uelle, in cœlis eſſe profiteamur, fruſtra metuimus a ſtellis & ſignis cœli, quæ a benigniſſimo patre noſtro cœleſti ad bonum, procul dubio filiorum reguntur, atq; hoc ipſo ſecernimur a gentibus idolatris, quas ne imitemur, dominus apud Hieremiam. x. præcipit, dicens: Iuxta uias gentium nolite diſcere, & a cœli ſignis nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum uanæ ſunt. Itaq; qui fideli mente patrem qui in celis eſt compellat, is ſe totum dei protectioni committit, certus ſibi nullam poſſe nocere creaturam. quē tuetur omnis creaturæ opifex ac moderator, deus.

Secundo, his uerbis docemur, diſcernere patrem cœleſtem a terreno, quem hic in mundo habemus. Terrenus enim (a quo hoc fragile corpus, non tamen ſine formatore deo accepimus) multis rationibus egens eſt, infirmus, ac imbecillis, qui ſi quid aduerſi accidat, mutare id non poteſt, nec certum habemus quamdiu maneat is pater, nimirū mortis imperio ſubditus, Sic ut in talem fiduciam noſtrā collocare neq; poſſimus neq; debeamus. In quam ſententiam dixit Chriſtus: Nolite uocare uobis patrem ſuper terram. At quum patrem cœleſtem appellamus, patrem agnoſcimus longe meliorem & præſtantiorem, omnipotentem, fortiſſimum, beneficentiſſimum, & immortalem. Atq; hoc ipſo profitemur iuſtum ac æquum eſſe, ut præ eo patrem, matrem, cognatos, neceſſarios, carnem quoque & ſanguinem contemnamus.

Tertio his uerbis incitamur ad recolendum unde ſimus delapſi, nempe e cœlo, & quo rurſus tanquam ad deſtinatum locum fœlicitatis noſtræ, patre noſtro authore, redituri ſimus. Deinde, ut ſedulo cogitemus ac optemus, ut cœleſtis patris, cœleſtes quoque filii eſſe poſſimus, ab omni remundana alieni, hoc eſt, ne quid præter animæ ſalutem & cœleſtem illam hære ditatē ſpectemus, ne huius mundi concupiſcentiis decepti, ac irretiti in carnales filios degeneremus, ut plane erubeſcere debeat, qui his uerbis patrē cœleſtē compellans, non dum deſinit ſeſe terrenis immiſcere rebus.

PRoinde & ille intellectus allegoricus, quem diui, Ambroſius & Auguſtinus recenſent, nobis pluri mum probatur, nempe, Pater qui es in cœlis ideſt, in angelis, ac ſanctorum, iuſtorumq; cordibus. Nam quemadmodum peccator appellatus eſt terra, quum ei dictum eſt, Terra es, & in terram ibis. Sic iuſti aptiſſima metaphora, & cœli dicuntur, & cœlis comparantur. Quemadmodum Paulus Apoſtolus Pſalmū illum decimumoctauum (qui incipit, Cœli enarrant gloriā dei) de Apoſtolis intelligit.

In iuſtis enim deus eſſe dicitur, quia eorum conuerſatio in cœlis eſt. Et in alibi ait Apoſtolus: Templum enim dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Et accommodatisſima iſta ſimilitudo eſt, ut hinc omnes intelligant tantum intereſſe inter iuſtos & peccatores, quantum corporaliter inter cœlum & terram. Et recte orat, qui hoc intellectu orat, nimirum qui toto affectu cupiat, in ſe quoq; ipſo deum habitare, quem inuocat. Quem affectum qui ad orationem affert, hunc non dubium eſt, eo ipſo inuitare deum, ut animum eius inhabitet.

HActenus dominicæ orationis procœmium recenſuimus, quo mens fiducia, deuotione, ac ardenti affectu erga deum (qui oratur) imbuitur. Nunc ad ipſas preces quæ ſeptem numero ſunt, deſcendimus. Multæ autem a pijs rationes afferuntur, quur ſeptenario numero Chriſtus orationem quam tradidit, abſoluerit, ac incluſerit. Hoc certe conſtat, ut eſt ſeptenarius numerus perfectus, & multi in ſcripturis myſterij, ita hanc orationem dominicam ſeptem petitionibus comprehenſam longe perfectisſimam (quod & ſuperius oſtendimus) & maxime myſticam ac ſpiritualem eſſe. Nihil enim eſt (ut diximus) quod a deo recte peti posſit, quin hac orationis ſerie abunde exprimatur ac contineatur? Dein, ſic uidetur diſtributa, ut ſatis appareat, ſeptem dona ſpiritusſancti (quibus innouamur, ſanctificamur ac conſummamur) ordine quodam decenteſimo a deo poſtulari, quemadmodum ſuperius nos indicaſſe meminimus. Quin tanta eſt huius orationis amplitudo, ut ea mediante, quicquid eſt, ſeu cogitari poteſt, bonorum ſpiritualium & corporalium, præſentium & futurorum a deo precemur (quod ſcilicet quatuor prioribus petitionibus fit) Rurſus, quicquid eſt malorum tam ſpiritualium quàm corporalium præſentium & futurorum deprecemur, id quod tribus poſterioribus poſtulationibus peragitur, idq; non ſine decenteſimo ordine, ſed ad rem ipſam. Vt autem intelligas, quid prima iſta petitio ſibi uelit, de ratione uocabulorum paucis præfandum erit.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

NOmen dei ſeu domini in ſcripturis, deum ipſum, ſeu dei potentiam, uirtutem, maieſtatem gloriam, ſapientiam, prouidentiam & bonitatem, & quicquid de deo recte dicitur, deſignat. Vnde quum ſcriptura dei nomen omnipotens, admirabile, bonum, ſuaue ac ſaluificum facit, deum a potentia, ſapientia, & bonitate celebrat. Rurſus, quum iubet, ut nomen domini ſit ſpes ac fiducia noſtra, utq; in nomine domini omnia faciamus, ac geramus, uult ut totum dei potentiæ, ſapientiæ, ac bonitati tribuamus, & ut omnia que facimus, in gloriã dei faciamus, deoq; accepta referamus. Nec ineptus eſt ſcripturæ tropus, quo nomen domini dicitur inuocatum eſſe ſuper fideles. Hoc enim ſignificatur, deum nos in ſuam tutelam & protectionem recepiſſe, & in filios adoptaſſe, quo ſumma erga nos dei bonitas ac charitas demonſtratur ac predicatur, quemadmodum .i. Ioannis. iij. legimus: Videte qualem charitatem dedit nobis deus, ut filij dei nominemur & ſimus. In filios enim dei aſciſcimur, quum in nomen eius credimus, & fide uiua ad deum accedimus, ſicut ſcriptum eſt: Dedit eis poteſtatem fi-

lios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Quamdiu in infidelitate cæci perſiſtimus, Adæ ueteris nomen retinemus. Sed ubi per fidem deo inſerimur, nouum nomen (quo filij dei appellamur) adipiſcimur, ut cum propheta dicere poſſimus: Nomen *ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos, hoc eſt, ſecundum nomen tuum uocati ſumus.*

SAnctificare in ſcripturis ſæpe ſignificat, ad ſacros uſus ſeparare, ſegregare, ſeu nuncupare. Quod enim ſegregatur domino, non amplius prophanum manet, ſed ſanctum fit. Hic proprie tantum ualet, quantum laudare, glorificare, illuſtrare, præconijs euehere, honore proſequi, tam uerbis quàm factis. Sed dices, Quid eſt igitur q̃ oramus, Sanctificetur nomen tuum? Nunquid *hoc optamus, ut aliquid ſanctificationis deo a nobis accedat, uel ut nomen dei ſanctificetur orationibus noſtris, quod in ſe perpetuo ſanctum, glorioſum admirabile, & maieſtate plenum eſt, quod noſtra laude non indiget, quod potius omnia ſanctificat, quàm ſanctificatur, cui angeli ſemper acclamant, Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus Sabaoth?* Nequaquam. *Sed hoc petimus, ut nomen dei, quod in ſe ſanctiſſimum eſt, ſanctificetur quoq; & glorificetur, ac ſanctum & celebre in nobis & omnibus gentibus fiat ac habeatur. Quod ut magis perſpicuum fiat, à contrario ratio ducenda eſt.* Nam *& ſcriptura phraſi non diſſimili aſſerit nomen dei pollui, non quod nomen tam ſanctum, quod ad ſe attinet, a nobis, ullo modo contaminari, aut tantæ gloriæ ſplendor ullo probro inquinari poſſit, ſed quod, quantum in nobis eſt, illuc contumelia ac ignominia in noſtram perniciem ſæpenumero afficiamus. Quod qua ratione fiat, quum oſtenderimus, mox manifeſtum euadet, quid prima iſta particula (quæ merito in omni oratione noſtra ac uoto prima eſſe debet) petamus.* Nomen *itaq; dei ſecundum hanc rationem, multifariam afficitur contumelia. In primis a gentibus ethnicis, quæ uel ignorato uel contempto rerum omnium conditore, uenerantur & adorant contemptiſſimas etiam creaturas, muta idola ac ſtatuas, de quibus dixit Apoſtolus, Quia quum cognouiſſent deum, non ſicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. quin potius mutarunt gloriam incorruptibilis dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum & quadrupedum & ſerpẽtium, colueruntq;, & ſeruierunt potius creaturæ quã creatori, qui eſt benedictus in ſecula, Amen. Secundo, Iudæi, etſi externa abominentur idola, nomen tamẽ dei probris afficere non deſinunt, quum Chriſtum, qui eſt unicum dei uerbũ, atq; adeo proprie dei nomen, per quem ſolum deus nobis cognobilis fit, in ſynagogis ſuis aſpernantur, ac reijciunt. Tertio, Chriſtiani quoq; duplici ratione dei nomen ignominioſius tractant. Primum, quum fiduciam ſuam a deo uiuo in creaturas transferunt, diffidentia ac ſuperſtitione laborant, magicis artibus aut incantationibus dant operam, hæreſes ſeu impias doctrinas ſectantur, uel etiam quum ex titulis (qui ſoli deo debentur) ueluti ſunt, potentia, ſapientia, ac bonitas, ſibi quicquam tanquam proprium decernunt, ſuo, non dei nomini gloriam tribuentes. Quod faciunt, quicunq; in diuitijs ſuis, terrenis honoribus, ſeu etiam benefactis, ueluti a ſe profectis gloriantur, laudẽq; ab hominibus captant, ſibi fidentes, Deũ uero (a quo, quicquid eſt uirtutis ac boni, p-*

ficiſcitur) ueluti unicum authorem non agnoſcentes, aut etiam qui uel in proſperis uel aduerſis, ab alio quàm a deo pendent, aut aliunde q̃ a domino ſalutis præſidia quærũt. Deinde Chriſtiani iniuriam inferunt dei nomini, cũ nomine filiorum (quod adoptione gratuita ſunt adepti) in dedecus diuinæ gloriæ abutuntur, Nimirum, quum non imitantur patris ſui cœleſtis mores ac uoluntatem, ſed ueluti degeneres filij omnia contraria faciunt, uti quum peierant per adorandum nomen dei, quum & blaſphemijs idem nomen inceſſunt, quum Mãmonæ ſeruiunt, aut uentrẽ pro deo habent, quũ ulciſcuntur, furantur, mœchantur, fraudant, & id genus alia ſcelera effrontes committunt. Nam quum hominum uulgus deum ex ipſius cultoribus æſtimet, fieri non poteſt, quin dei noſtri nomen apud infideles male audiat, quum uident eius nominis profeſſorem impie agentem. Quos Apoſtolus grauiter increpans, ait: Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis deum inhonoras. nomen enim dei per uos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt, nimirum Eſaiæ. lij. & Malachiæ cap. primo.

COgnito igitur, quibuſnam rationibus nomen dei inhonoretur, facile à contrario uidere eſt, quibus modis honoretur ac ſanctificetur. Poſtulantur itaq; hac prima particula potiſſimũ tria. Primũ, ut nomen dei excelſiſſimum, quod per ſe ſanctiſſimũ eſt & benedictũ in omnia ſecula, toti etiã mundo inclareſcat, ut gentes relicto idolorum cultu, ſolũ uerũ deũ uenerentur ac adorent, ut Iudæi, impia ſupſtitione relicta, diuino ſpiritu edocti, non ſolũ patrẽ deũ, ex quo omnia, ſed & dei filium, per quẽ omnia, & ſpiritũ ſanctum, in quo omnia, agnoſcant, & in tribus perſonis eandem maieſtatẽ, & in ſimplici eſſentia triplicem perſonarũ proprietatẽ adorent. Atq; in hũc modum omnes ſancti, quotquot ab origine mundi fuerunt, non ſine ardentiſſimo affectu oraſſe leguntur: & frequentiſſimus eſt talis orandi modus in Pſalmis. Et in hanc ſententiã orat Ieſus filius Sirach. Eccleſia. xxxi. Alleua (inquit) manum tuã o pater, ſup gentes, quæ nõ exquiſierunt te, ut cognoſcant, quia non eſt deus, niſi tu, ut enarrent magnalia tua, alleua manũ tuã ſuper gentes, ut uideant potentiam tuã. Sicut enim (ut ſubdit) in conſpectu illorũ es ſanctificatus in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis, ut cognoſcant te, ſicut & nos cognouimus te. Si autẽ orantes, nos ad doctrinam & exemplũ Chriſti (qui in terris agens, nihil ardentioribus uotis exoptauit, quã ut nomen patris ſui per uniuerſum orbẽ inclareſceret) ueluti morigeri filij comparamus, ac pro noſtro modo ſimilibus deſiderijs operamus, ut adorandi diuini nominis gloria cœlũ ac terrã impleat, ut omnis creatura eius ineuitabilẽ potentiã metuat, æternã ſapientiã ueneretur, amet ineffabilẽ bonitatem. Non q, id ut fiat, dei referat, ſed q, humani generis omnino inſerſit, ut dei gloria ex ſe ſemper immenſa, ac in ſeſe ſemper florens, cunctis etiam innoteſcat. Hæc enim eſt uita æterna (ut ueritas ait) noſſe te uerũ deũ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ac digna prorſus hæc oratio eſt eo, qui quũ patrem appellauit, nihil omnino prius habet, quàm pro illius gloria ſupplicare, Omnia uero reliqua ſecundo loco ducere, quod & Chriſtus, ut faceremus, iuſſit, quum ſuos inſtituens, ait: Primum querite regnum dei, &c. Secundo, in hac particula petimus,

ut non tantum craſſa illa idololatria, ſed & omnis ſpiritualis infidelitas, qua gloria & honor diuini nominis imminuitur a nobis tollatur, ut omnes magicæ artes aboleantur, ut dæmonum aliarumue creaturarum incantationes omnino ceſſent, ut omnis diffidentia ac ſuperſtitio e mentibus noſtris eliminetur, ut omnes hæreſes & impiæ doctrinæ redigantur in nihilum & perdantur, ut uerbum dei ſyncere currat ac prædicetur. Rurſus *precamur, ne nobis aut ulli creaturæ, ſed ſoli deo fidamus, ut omnem ſalutis ſpem in deum inclinemus, utq; ab eo ſolo toti pendeamus.* Deniq; *ut quicquid eſt uirtutis a nobis profectum, id ne nobis (qui ne cogitare quidem ex nobis aliquid, tanquam ex nobis ſufficientes ſumus) ſed dei benignitati acceptum feramus, utq; omnia quæcunq; facimus aut gerimus, non noſtro, ſed in dei nomine, nec noſtræ, ſed dei uirtutis fiducia, nec in noſtram, ſed in dei gloriam faciamus, dicentes cum* Dauid: Nõ *nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Tertio *oramus, ut quemadmodum nomen filiorum dei gerimus, ita & caſtis & inculpatis moribus gloriam tanti nominis ſanctificemus ac illuſtremus, quod facimus, cum pro uiribus ac ſedulo conamur ueſtigia* Chriſti *inſequi. deum ſuper omnia, proximum perinde ut noſ pſos diligentes, atq; adeo bene uolentes ijs, qui nobis uolunt male, & benefaciẽtes, ijs, qui nobis male faciunt.* Sic *enim nos docuit* Chriſtus, *prouocans ad imitationem patris cœleſtis, qui ſolem ſuum iubet oriri ſuper bonos & malos.* Tum *enim pro modulo imbecillitatis noſtre deus ſanctificatur & glorificatur in nobis, ſicut perfectisſime glorificatus eſt in filio ſuo, ſi mundus nos conſpiciat. iuxta eiuſdem filij ſui doctrinam uiuentes, quemadmodum & is alibi inculcauit, dicens:* Luceat lux *ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificẽt patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt.* Petimus *deniq; ne in ea crimina a quibus abluti, iuſtificati, & ſanctificati ſumus in nomine domini* Ieſu *chriſti, & in ſpiritu dei noſtri rurſus incidamus, ſed ut hæc ſanctificatio & uiuificatio, quæ de dei gratia ſumitur, in nobis perpetuo maneat. hoc diebus ac noctibus poſtulamus, nec unquam deprecari ceſſamus, ꝙ nobis continua ſanctificatione ſit opus, ut qui quotidie delinquimus, delicta noſtra asſidua ſanctificatione purgemus, quod quum a deo orando conſequimur, fit ut per noſtram bonam conuerſationem cogantur etiam impij & infideles procidere in faciem ſuam, & renunciare ꝙ deus reuera iuſtus & bonus in nobis ſit.*

ADVENIAT REGNVM TVVM.

Q*Vid (inquis) eſt, ꝙ petimus aduenire regnum dei?* Nunquid *non deus ab æterno regnauit, aut quando non regnat? aut nunquid regnum apud deum incipit, quod & ſemper fuit, & eſſe non deſinit?* Sicut Pſaltes *ait:* Regnum *tuum, regnum omnium ſeculorum.* Et *dominatio tua in omni generatione & generationem?* Immo *non hoc petimus, ut adueniat regnum dei in terram, quaſi uero etiam ipſe nunc non regnet in terra, ſemperq; in ea regnauerit a conſtitutione mundi, ſed hoc petimus, ut adueniat nobis, ideſt, ut in primis mũdo id ignoranti manifeſtum fiat,* Sicuti *& nomen eius ut in nobis ſanctificetur poſtulamus.*

Nam ueluti lux, licet præſens, ſit cæcis tamen eſt abſens, quòd nihil luminis eis aſferat, Ita & regnum dei, tametſi ubique præſens, mundo tamen id ignoranti deeſt, cui ut adueniat, petimus. Sed ut penitius intelligas, quanta bona ac petitione poſtulemus, ſcies in uniuerſum duo eſſe regna, dei ſcilicet, & diaboli. Nam regnum terrenum, quod gerunt principes, quicquid eſt, habet, aut gerit, totum id uel a deo accipit, uel a diabolo mutuatur. Regnum dei duplex eſt, gratiæ & gloriæ. Gratiæ rurſus duplex, publicum & priuatum. De regno gratiæ ſeu miſericordiæ ſcriptum eſt Lucæ. xij. Regnum dei intra uos eſt. Item Apocal. x. Feciſti nos regnum deo noſtro. Hoc itaque regnum gratiæ nihil aliud eſt, quàm ſpiritualis liberatio cordium a peccato, ac gubernatio animorum ac conſcientiarum noſtrarum. Nam quum omnes nati ſimus ſerui peccati, & filij tenebrarum, non prius aſciſcimur in regnum gratiæ dei, quam deus per filium ſuum nos a peccati uinculis liberauerit, ac (ut Paulus ait) de poteſtate tenebrarum eripuerit ac tranſtulerit in regnum filij dilectionis ſuæ in quo habemus redemptionem & remisſionem peccatorum. Regnum ergo gratiæ priuatum, nihil aliud eſt, quam iuſtitia conſcientiæ, quod Chriſtus obtinet in quoslibet, quos per fidem regenerauit & iuſtificauit, de quo dictum eſt Rom. xiiij. Regnum dei eſt gaudium, iuſtitia, & pax in ſpiritu ſancto. Conſtat enim iuſtificatum ex fide pacem habere erga deum, quæ dulcisſimam animi tranquillitatem, & ineffabile gaudium conſcientiæ parit, ac ſecuritatem aduerſus carnis, mundi ac diaboli tyrannidem præbet, De quo gaudio dictum eſt in pſalmis: Lætentur in te omnes qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis. Regnum uero gratiæ publicum, militans eccleſia ſanctorum eſt, de quo ſcriptum legimus: Mittet angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. Quod & Chriſtus ſimile facit ſagenæ miſſæ in mare, & decem uirginibus ac alijs terrenis rebus ad humanum captum expoſitis. De regno gloriæ habes Matthei. xxv. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum eſt ab origine mundi. Item Matthæi ſeptimo. Qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, hic intrabit in regnum cœlorum. Itidem primo Corinthio. ſexto. An neſcitis, quia iniqui regnum dei non posſidebunt. Et Epheſ. v. Hoc (inquit) ſcitote, intelligentes, q, omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet hereditatē in regno Chriſti & dei, De regno diaboli habes Epheſ. cap. ij. Vos (inquit) conuiuificauit, cum eſſetis mortui delictis & peccatis ueſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ, in quibus & nos aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ, facientes uoluntatem carnis & cogitationum &c. In hoc ergo regno tenet imperium omnis peccati caput & fons malus ſpiritus, qui regnum dei disſipare, ac nos in ſuam tyrannidem triplici retiaculo, nimirum per concupiſcentiam carnis & oculorum ac ſuperbiam uitæ nunquam non pertrahere nititur. Deniq; regnum terrenum (quod terreni principes gerunt) & ſi cum regnum Chriſti (quod mere ſpirituale

eſt) nihil prope modum commune habeat, in quo fanatici Anabaptiſtæ impudentisſime hallucinati ſunt, tamen ſi ſecundum eſſentiam ſuam, (qua nihil aliud eſt, quā legitima quædam poteſtas, externæ pacis conſeruandæ, ac retinendæ politiæ) conſideretur, optima certe dei ordinatio eſt, quemadmodum Paulus ait: Non eſt poteſtas niſi a deo: Quæ autem ſunt, a deo ordinata ſunt. itaq; qui reſiſtit poteſtati, dei ordinationi reſiſtit. Placet ergo etiam hoc regnum etſi terrenum, deo, tanquam ſua creatura (ipſe eſt enim, qui conſtituit & transfert regna) ſed non aliter niſi ſic geratur, tanquam a deo acceptum, ac iuſtitia firmetur, Quemadmodum Prouerbiorum. xxv. legimus: Aufer impietatem de uultu regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius. Et Pſal. ij. Dauid ait. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite domino in timore. Nam & tales reges diuinitus dari & iuuari conſtat, quemadmodum ſcriptum eſt: Per me reges regnant. Et iterum. Qui dat ſalutem regibus. At ſi principes hac poteſtate à deo accepta, abuti incipiant, exercentes non dei iudicium, ſed ſuam tyrannidem, ac regnum, quod acceptum deo referre oportuerit, faſtu, uiolentiaq; gerentes, aut etiam in ſua uirtute, potentia, opibus, famulitio, copijs, & armis confidentes, certe tales regnum, alioqui ſua natura rem bonam, abuſu malam faciunt, ut iam magis regnum mundi, quàm dei ordinatio dicatur. Nihiloſecius tamen (quod obiter dictū uelimus) dei uoluntas eſt, ut propter poteſtatem, quæ a deo eſt, etiam regibus, ac dominis dyſcolis obediamus.

Quibus ſic expoſitis, facile uidere eſt, quanta hæc petitio complectatur, quā pulchre etiam ac decenti ordine primā particulam ſubſequatur. Priore enim petitione precati ſumus, ut nomen patris noſtri cœleſtis toto terrarum orbe inclareſcat, ut ubiq; gentium laudetur & glorificetur quod fit per agnitionē & apprehenſionem redemptionis, quæ eſt in Chriſto, in quo ſanctificamur ac regeneramur in nouā creaturā. Sed quoniā tanta eſt Satanæ malitia, ut ne uictus quidem & expulſus ſemel, ceſſet: quin potius è ſua tyrannide liberatos, ac etiamnum filios dei effectos, oppugnare nunquam deſinat, quamdiu hoc mortali corpore ſunt onuſti. Sollicitat enim ueteris peccati reliquias ac humanas ingerit cupiditates, quibus carnis rebellionē aduerſus ſpiritū molitur. Idcirco poſt poſtulatam illuſtrationē & agnitionem nominis dei, iuſto ordine dicimus, Adueniat regnū tuū: Quo hoc in primis petimus, ut deus quos ſemel a Satanæ tyrannide liberatos eſſe uoluit, regere etiam ac gubernare dignetur, ne in eandem tyrannidem reuoluantur. Neue deinceps regnet peccatum in noſtro mortali corpore, ut obediamus concupiſcentijs eius, aut exhibeamus membra noſtra membra peccati, ſed magis liberati a peccato, ſerui autem facti deo, & in regnum eius aſciti, exhibeamus membra noſtra ſeruire iuſtitiæ, ut eiecto ſemel, idq; in Chriſto rege noſtro. Satana huius mundi principe, amodo obtemperemus deo, ut obrutis ac oppresſis peccatis, in ſanctitate ac iuſtitia ſeruiamus ei omnibus diebus uitæ noſtræ, ut quemadmodum Chriſtus ſpiritu cœleſti impium huius mundi ſpiritum ac principem uicit, ac innocentia peccatum ſuperauit. Ita nos quoq; per eundem fœlici-

ter uincamus, & in deo regemus, ac uiciſſim deus in ſui nominis gloriam regnet in nobis Sic enim deus mirabiliter uicit, triumphauit ac regnauit per filium ſuum Ieſum in ſanctis ſuis martyribus, incorruptis ſuis confeſſoribus, ac caſtiſſimis uirginibus qui ſemel in Chriſto ſanctificati & regenerati, carnis laſciuiam, mundi malitiam ac ſæuitiam, & Satanæ inſultus ac molitiones fortiter fœliciterq; uicerunt: Quibus etſi fidei conſtantia impares ſimus, rogare tamen nunquā ceſſamus, ut eadem fide donemur, nimirum ut ſpreto huius mundi regno, breuiter contemptis omnibus (quæ ſpecioſa. pulchra ac dulcia nobis uidentur) ſequamur promiſſa regni cœleſtis, ut reiecto iniquo mammona, unicum illud margaritum euangelicum amplectamur, ut comprimentes omnes carnales æſtus & affectus, regnum Satanæ debellemus, utq; hac graui perpetuaq; colluctatione, è prælio ſemper firmiores diſcedamus, quo deus in dies magis ac magis regnet in nobis, regno quidem ſpirituali, quod (ut iam diximus) eſt pax, iuſtitia & gaudium in ſpiritu ſancto. Secundo, quum nondum totus mundus deo ceruicem ſubmiſerit, ſed plurimas etiam nationes, gentes ac populos, tyrannus ille ſatanas adhuc occupet, quales ſunt impiæ gentes, Iudæi & Turcæ, Rogamus ut eis regnum dei (cuius libertatem, dignitatem & fœlicitatem penitus ignorant) innoteſcat, ut ex mancipijs diaboli fiant ſerui dei, cohæredes Chriſti, conſortes regni cœleſtis, utq; tandem fiat unum ouile et unus paſtor. Tertio, quum pleriq; etiam ſint, qui etſi regni Chriſtiani inſigne præ ſe ferant, ac Chriſti milites dici uelint, nihilo ſecius tamen cū Satana conſpirent, iactiſq; hæreſum ac ſchiſmatum ſeminibus, regni diuini gloriam (quod in ipſis eſt) dedecorant. Optamus ut pater ille cœleſtis aream eccleſiæ ſuæ purget, de regno ſuo omnia ſcandala tollat, ut ſublatis hæreſibus ac ſchiſmatibus uniuerſis, eccleſia tranquilla gaudeat libertate. Quarto, quū terrene imperia ac magiſtratus, quod ad concreditam poteſtatem attinet, à deo ſint ac cōſtituantur, quibus tamen plurimi in regni cœleſtis ignominiam et eccleſiæ dei ſuppreſſionē miſere abutuntur, Optamus ut tales principes ac magiſtratus ſuum munus & in primis regnum illud ſpiritus dei agnoſcant, ac ſanctæ eccleſiæ dei moleſti eſſe deſinant, quin etiam in uiua eccleſiæ membra cū uocatis ſanctis coaleſcant. Certe non temere Paulus iuſſit, ut omnium primū fierent obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus & regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam ac tranquillam uitam agamus, in omni pietate et caſtitate. Quod precandi genus putandum non eſt, dominicæ orationi (qua quicquid pie poſtulari poteſt, comprehenditur) incluſum non eſſe Quinto, præcipuus finis huius petitionis eſt, ut recepti in regnum gratiæ & miſericordiæ dei, tandem quoque regnum gloriæ & perpetuæ pacis, poſt huius temporalis uitæ curriculum adipiſcamur, ingrediamurq;. Hoc eſt enim ſummum illud deſiderium, quod de optima conſcientia & mente rebus fluxis & terrenis exuta oritur, quo omnes ſancti mirum in modum æſtuarunt, quod uidere eſt in Apoſtolo Paulo, qui illius ſumma expectatione tenebatur, quū ait: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

gratia dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Et iterum: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Rurſus alibi, Sed & ipſi (inquit) qui primitias ſpiritus habemus, & noſipſi in nobiſipſis gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis noſtri. Certe, modo ſapiamus. hoc domini regnum (quod gloriæ appellamus) atque adeo ſecundus ille domini aduentus, qui proxime tale regnum precedat, quod deus ſuis fidelibus perfectisſime tam in corpore quàm animo beandis largietur, asſidue optanda expectanda ſunt, idq; ad exemplum ſanctorum patrum, qui diem ſupremi aduentus die noctuq; ſummo ſtudio, ieiunijs, uigilijs, lachrymis & precationibus uacantes, uidere cupiebant, ac ſecure coronam iuſtitiæ expectabant, in quam ſententiam ſumma fiducia dixit Apoſtolus: Non ſolum mihi reddet coronam iuſtitiæ, ſed & his qui diligunt aduentum eius, Aduentum inquam magni dei & beatam ſpem. Et Chriſtus monet, ut ſimiles ſimus hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur a nuptijs, utq; ad hanc diem redemptionis noſtræ leuemus capita noſtra, quando ſcilicet Chriſtus regnum ſuum plenum & integrum, ſubiectis ſibi omnibus, quos æterna dei uoluntas ſuo regno deſtinauit, patri tradet ac reſignabit, & electis ſuis ea bona quæ neque oculus uidit, neque auris audiuit, nunquam auferenda donabit, taliq; regno aſciſcet, ubi non erit amplius ullus luctus aut dolor, ubi non eſurient neque ſitient amodo, neque cadet ſuper illos ſol, neq; ullus æſtus, ubi erit uita æterna, quies perpetua, ſempiterna lux & claritas, pax & tranquillitas nunquam finienda, inenarrabile gaudium & lætitia, certisſima ſempiternæ fœlicitatis ſecuritas, copioſisſimaq; exanclatorum laborum merces. Quod ſi quiſquam eo pietatis nondum promouit, ut eius diei accelerationem ex animo petere nec dum posſit, ſaltem is ardentisſimis uotis exoptet, ut in ſe, gratiæ & miſericordiæ regnum adueniat, ut fide, ſpe & charitate (quæ ſunt huius regni præcipuæ partes) de diabolo, mũdo et carne fœliciter triũphet, ut hoc ſpirituale dei regnũ in eo ſubinde creſcat & augeatur, ut cõſtãter pducet, nec unquã obdormiat in morte, ne ue in Satanæ poteſtatem ueniat, ut poſt exutum exteriorem hominem, cœptum in ſe regnum dei, in illa cœleſti uita perficiatur. Deniq; is ſaltem expetet ſibi eum affectum a deo donari, quo hanc uitam peccatis & periculis plenam contemnat, ac odiſſe incipiat, illam uero alteram uitam, atq; adeo ſupremum aduentum dei & ſaluatoris noſtri Ieſu chriſti, uel expetere incipiat, etſi nondum ex animo impediente infirmitate exoptet, ut non tantum ſpiritus & animus eius integer in illum diem conſeruetur, ſed & corpus humilitatis ſuæ, corpori claritatis Chriſti conformetur, utq; demum ipſe ſanctorum cœtui coniunctus, ſimul cum illis obuiam Chriſto in aera rapiatur, poſt hac in æternum cum domino uicturus.

FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN COELO ET IN TERRA.

ROges forſan principio, quidnam id ſit quod petimus, dei fieri uoluntatem, nu. ut deus faciat quod uult? Non quidem. Voluntas enim dei ſemper fit, & ſi nos, ut fiat nunquam, poſcamus, quemadmodum ſcriptum eſt, Omnia quecunq; uoluit dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Et rurſus, Deus autē noſter in cœlo, omnia quæcunq; uoluit fecit, In eius ſiquidem ditione cuncta ſunt poſita, nec eſt qui poſſit reſiſtere uoluntati ſuæ. Et ipſe eſt, qui operatur omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Quid ergo eſt quod petimus, niſi ut deus non quod uult faciat, ſed ut nos facere poſſimus qđ uult deus? Sed ut penitius intelligas, quid & quanta petantur, ad duplicem uoluntatem reſpicere oportet, nempe diuinam et humanam. Diuina nunquam non poteſt eſſe optima, noſtra uero nunquā eſt bona, ſed aut mala, aut ſaltem ad malum prona, nihilo ſecius tamen etſi mala & deprauata ſit, tamen uoluntas eſt, quam deus inuitā ac renitentē non immutat, ſed naturali ac innatæ uolendi libertati relinquit. uerum quum ipſa ſibi relicta ad peccandum tantū ualeat, ac perpetuo in malum prona ſit, ſicut ſcriptum eſt: Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua, recte poſtulamus ut poſt concupiſcentias noſtras non eamus, ut a uoluntate noſtra auertamur, ut non noſtra, nimirum mala, ſed dei uoluntas (quæ ſemper optima eſt) in nobis fiat ac peragatur. Subnectitur autem ordine quodam elegantisſimo hæc particula ſuperioribus. Nam primum poſtulamus, ut nomē dei nobis ac toti orbi innoteſcat ac inclareſcat. Deinde, quia non ſufficit nouiſſe deū, aut in nos etiam nomen dei in baptiſmo inuocatum eſſe, niſi ſtatim etiam deus a baptiſmo poſt deſtructam Satanæ tyrannidem, incipiat regnare in nobis, idcirco petendo ſubiungimus, ut adueniat ac in dies proferatur regnum eius in nobis. At quoniam in renatis ac regeneratis non ſtatim etiam extinguitur fomes ille peccati, quæ eſt lex membrorum, carnalis utiq; concupiſcentia aduerſus ſpiritum perpetuo pugnans, ac faciens, ut non quæcunq; uoluerimus, eadem etiam faciamus. ꝗ tametſi Chriſtiano iam in dei regnum tranſlato, uoluntas bene agendi adiaceat, repugnante tamen natura uitiata, eam perficere non poſſit, niſi ſpiritu adiuuante. Proinde neceſſe eſt nos ſedulo poſtulare, ut deus quod in nobis cœpit etiam perficiat, hoc eſt carnalis concupiſcentiæ uim in nobis compeſcat, coerceat, ac mortificet, naturam corruptam ſanet, carnem reluctantem ſpiritui ſubijciat, utq; poſt uocationem ſuam in nobis etiam uoluntatem ſuam impleat, & opus fidei in uirtute perficiat, ut quemadmodum ſpiritus iam non reſiſtit deo, ſequens & faciens uoluntatem eius, ita & corpus non reſiſtat ſpiritui, qui non corporis infirmitate uexatur, ſed ſimul cum ſpiritu ad perficiendam dei uoluntatem feratur, ut tandem & carne & ſpiritu deo ſeruire, & cum Dauid dicere poſſimus: Cor meum & caro mea exultarunt in deum uiuum. Sic orat Paulus. ij. Theſſalon. 1. Heb. xiij. Idem orat Epaphras pro Coloſſenſibus, Coloſſen. iiij. Rurſus, quū nō

ſufficiat nos a Satanæ tyrannide ereptos, ac in regnum dei translatos eſſe, niſi etiam ad eiuſcemodi regni leges, uitam, omneſq; actiones noſtras componere modis omnibus ſtudeamus, ac deum nos regentem ac ducentem, uoluntarie ſequamur, quemadmodum ſcriptum eſt: Qui dicit ſe noſſe deum, & mandata eius non cuſtodit, mẽdax eſt. Præterea quum non ſit ſatis declinare a malo, niſi etiam quod bonum eſt faciamus, nos uero nec uelle nec facere efficaciter poſſimus quod uult deus, niſi uoluntas diuina nos attraxerit, ac libertatem noſtri arbitrij ſuæ uoluntati ſociauerit, atq; adeo ea, bona quæ præparauit, ut in illis ambulemus, in nobis operatas fuerit, Idcirco iuſto ordine petimus, ut deus poſt gratiam iuſtificantem ſeu operantem, etiam gratiam ſubſequentem, cooperantem, ac coadiuuantem donet, cuius ope uoluntatem eius & mandata facere poſſimus. Deniq;, qui modo popoſceramus aduenire nobis regnũ illud gloriæ eccleſiæ triumphantis, ſcientes interim hoc regno tantum nos potituros, ſi uoluntatem dei fecerimus, dicente domino Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cœlorum. ſed qui facit uoluntatem patris mei, Et iterum: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata, congruo nimirum ordine poſtulamus, ut uoluntatem dei facere poſſimus, quam non facientes, in regnum cœlorum ingredi nequeamus.

PORRO, ut explicatior fiat huius particulæ uis, è ſcripturis docemur aliam uoluntatem dei adorandam, aliam agnoſcendam, aliam faciendam & ſequendã. Voluntas prouidentiæ, præſcientiæ, ſeu prædeſtinationis dei potius a nobis adoranda, quàm curioſius inquirenda eſt, quemadmodum Paulus Roma. ix. docet. Ad hanc uoluntatem hæc orationis dominicæ particula eatenus pertinet, ut ardentibus uotis petere debeamus, quo deus nos quos ſecundum uoluntatis ſuæ propoſitum prædeſtinauit, ſibi adoptare in filios per Chriſtum (uocans ſcilicet ac iuſtificans) tandem etiam iuſtificatos ac conſeruatos glorificet. Nec debet Chriſtianus hic ulterius progredi ad inquirendum ſcrupuloſius de hac dei uoluntate, multo minus num ipſe ex prædeſtinatis ſit, temere dubitare ac ambigere. Nam credentes, de hac uoluntate Chriſtus certos fecit. Hæc eſt (inquit) uoluntas patris mei, ut omnis qui uidet (hoc eſt, agnoſcit) filium, & credit in eum (hoc eſt, dictis illius fidit, ipſiq; ſyncera fiducia, quam comitatur charitas, adhæret) habeat uitam æternam. Item, Hæc eſt uoluntas eius qui miſit me patris, ut omne quod dedit mihi pater (nimirum per fidem) non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die. Hæc ſecum meditanti ac pijs deſiderijs ruminanti dulciſſima ſunt. Non glorificantur, niſi iuſtificati: non iuſtificantur, niſi uocati: non uocantur, niſi prædeſtinati. Rurſus, prædeſtinati ad uitam certiſſime uiuent, nec poſſunt perire contra uoluntatem ac decretum dei, Ergo qui fidem (gratuitum dei donum) in ſe agnoſcit, huic prædeſtinationis dei uoluntas, non ignauiam parit, ſed mirabilem potius amorem dei intus accendit, & ad omne bonum excitat, faciens ut pia mens orare ac dicere nunquam deſinat, Fiat uoluntas tua &c.

SEcundo, eſt uoluntas dei, quam ſcrutari & agnoſcere oportet, ea ſcilicet, qua er=

ga nos affectus eſt deus, quam ut notam nobis faceret, miſit filium ſuum, qui redime-ret nos, & ſanguinem ſuum funderet in remisſionem peccatorum noſtrorum. Ephe. 1. Qua ei ab æterno placuit, ut per Chriſtum ſanctificaremur & purgeremur a pecca-tis, Hebre. x. quo ſancti eſſemus & mundi, ac ad omne opus bonum inſtructi. 1. Theſ-ſalo. iiij. & . y. cap. Quam uoluntatem ut faceret Chriſtus, deſcendit de cœlis. Ioan-nis. yi. quam etiam adimplere miro deſiderio optauit, Ioannis. iiij. Iam etſi omnes ſan-cti de hac uoluntate edocti ſunt, non ceſſant tamen orare & poſtulare, ut impleantur agnitione uoluntatis dei, gratias agentes deo patri, qui dignos eos fecit in partem ſanctorum in lumine, qui eripuit eos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in re-gnum filij dilectionis ſuæ, In quo habemus redẽptionem & remisſionem peccatorum qui eſt caput corporis eccleſiæ, primogenitus ex mortuis, in quo placuit, omnem ple-nitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſangui nem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt, Colloſſen. i. Eatenus er-go hæc petitio ad eam uoluntatem referri poteſt, ut petamus fieri uoluntatem dei, ut magis ac magis agnoſcamus tantum myſterium, quod abſconditum fuit a ſeculis & generationibus, ut innoteſcant nobis diuitiæ gloriæ ſacramenti huius, quod eſt Chri ſtus, ut deniq; huius ſacramenti uis & Chriſti beneficium ſeu uoluntas patris in Chriſto in nobis adimpleatur, Quo deſiderio quid poteſt eſſe ſuauius? quo Dauid de longinquo in Chriſtum reſpiciens imbutus clamat: Memor eſto uerbi tui, ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti: hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum uiuificauit me.

Tertio, eſt uoluntas dei bona, quæ & cognoſcenda & facienda eſt, Roman. xij. Ephe. y. Hæc eſt illa uoluntas, in lege dei comprehenſa, ac ſita in mandatorũ di-uinorum cuſtodia, In quam reſpiciens Dauid Pſal. cxyiij. hoc unum orat, ut eum deus iuſtificationes ſuas doceat, ut eum in ſemita mãdatorum ſuorum deducat. Tu (inquit) mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Vtinam ergo dirigantur uiæ meæ ad cuſtodi-endas iuſtificationes tuas. Hanc uoluntatem dei nos Chriſtiani non iam in mor-tua littera quærimus, ſed in Chriſto, ueluti in uiuo exemplari expreſſam cernimus. Voluntas enim dei eſt, quam Chriſtus & docuit & fecit. Siquidem ipſe eſt, de quo pater cæleſtis de cœlo intonans, dixit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Docuit autem Chriſtus ſoli deo conſtantisſime fidere, deum toto corde diligere, amare in eo quòd pater eſt, timere, q. deus eſt, deo omnino ni-hil præponere (quod nec ille nobis quicquam præpoſuerit, etiam filium ſuum unigeni-tum pro nobis in mortem ignominioſisſimam tradens) charitati eius inſeparabiliter adhærere, proximos ſicut noſipſos atque adeo ſuper nos diligere, iniuriam facere non noſſe, factam tolerare poſſe, cum fratribus pacem ſeruare, cordis munditiam amplecti, uerecundiam in uerbis, iuſtitiam in factis, humilitatem in conuerſatione, in moribus diſciplinam, & in operibus miſericordiam tenere ac exhibere. Hoc ſi-quidem eſt præceptum dei, hoc eſt, uoluntatem patris facere, quã tamen ſolus Chriſtus

omnium perfectiſsime adimpleuit, & ut nos eam pro noſtro modulo adimplere poſsimus, facit. Hæc eſt illa uoluntas dei, de qua dictum eſt: Qui autem fecerit uoluntatem dei, manet in æternum, quomodo & deus manet in æternum, de qua & Apoſtolus dixit: Hec eſt uoluntas dei, ſanctificatio ueſtra. Ergo quum dicimus, Fiat uoluntas tua, hæc omnia in nobis deo authore agi petimus, ſine quo nihil boni facere poſſumus. Rurſus, uoluntas noſtra ad ea, quæ in mundo ſunt, prona eſt, ea diligit, ea ſectatur, quæ nihil aliud ſunt quã concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ, quæ non ſunt ex patre, ſed ex concupiſcentia mundi, qui tranſibit & concupiſcentia eius. Habet etiam in pijs caro uoluntatem ſuam, quæ quamdiu corpus hoc terrenum circunferunt, ſubinde negocium faceſſit uoluntati ſpiritus. Oramus ergo, ut deus uoluntatem noſtram cum fructibus ſuis (qui Galat. 5. recenſentur) mortificet, ſuamq; uoluntatem cum fructibus ſpiritus (qui ſunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas) in nobis operetur. Atq; hæc eſt oratio, quam in pſalmis nuſquam non obuiam reperias, Dirige (inquit Dauid) greſſus meos ſecundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis iniuſtitia. Item, Dirige greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moueantur ueſtigia mea. Item, Deduc me domine in uia tua, ut ingrediar in ueritate tua, Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Et reuera, mirandus eſt in hac meditatione Pſaltes toto illo celeberrimo pſalmo. cxviij. Quin hæc demum eſt beatitudo noſtra in hac uita corporali, ut uoluntas noſtra ſit in lege dei, ut meditemur in ea die ac nocte, quod demum faciemus, docente & cooperante deo, alioqui nequaquam, ut beatus Auguſtinus, in huius petitionis uim reſpiciens, deum pulchre appellet, dicens: Fac quod iubes. & iube quod uis.

DEnique, eſt uoluntas dei, quæ ſequenda eſt. Hæc eſt ea uoluntas dei, qua omnia in omnibus operatur ſecundum beneplacitum ſuum. De qua quum ſæpe, tum in primum ſymboli articulũ multa diximus. Certe qui fidei myſterijs initiari uelint, in primis eos ſic imbutos eſſe oportet, ut credant et agnoſcant, unum uerum deum, rerũ omnium conditorem, moderatorem ac ſeruatorem, omnipotẽtem, ſumme ſapientem ac bonum. Cæterum, qui deum omnipotẽtem agnoſcit, is ſtatim colligit nihil fortuito, ſed omnia dei nutu ac potentia fieri. Qui ſumme ſapientem, is iudicat omnes uias dei eſſe iudicia, hoc eſt, deum omnia certo conſilio ac rectiſsime facere. Qui ſumme bonum, is intelligit omnia opera dei optima eſſe oportere. tametſi homo animalis hec non percipiat, quin potius ſæpiſsime contrarium iudicet, quo fit ut interdum deum blaſphemo ore accuſare, et inſectari non formidet. Non capit enim ratio quomodo deus curet humana, præſertim cum uidet bonos affligi, iniurijs affici ac opprimi: Impios uero ac improbos omnium rerum affluentia florere. Horum impia conſilia, concupitos ſequi ſucceſſus. Illorum pios conatus ſæpe impediri. At homo ſpiritualis, qui de omnibus recte iudicat, is intelligit uoluntatem dei in omnibus, quæ fiunt ac contingũt, longe optimam ac iuſtiſsimam eſſe, ueluti pios ſemper a deo conſeruari ac defendi, pijs ſuam eſſe a deo conſtitutam mercedem, etſi nunc ipſorum opera ab impijs ueluti uana contemnantur,

nantur, pijs ſuas tentationes ac tribulationes non in iacturam, ſed in maiorem ſalutis profectũ ac gloriam cedere, & ſi nunc ſecus appareat. Rurſus nouit, deum ipſos impios ſæpe multis beneficijs temporalibus afficere, uel ut eos beneficentia ſua ad ſe alliciat, ne habeant ullam contra deum cauſſandi materiam, uel ut inuictã ac glorioſam iuſtitiam ſuam, in obſtinatos contemptores diuitiarum bonitatis ſuæ poſtea declaret. Quin hoc etiam ſentit ſpiritualis, ab impijs nihil mali patrari poſſe, niſi permittente deo, atq; adeo quicquid improbi mali perpetrant, hoc deũ mirabili conſilio contra malorum conſilium ac propoſitum in cumulum gloriæ ſuæ piorumq; utilitatem & profectum uertere, quod uidere eſt in Pharaone & Iuda, & reliquis Chriſti perſequutoribus, quorum impij conatus dei gloriam q̃ maxime illuſtrarunt. atq; interim tamen cernit ſpiritualis Deum, deprauatum illum impiorum affectum (in quo ſolo peccati uis cõſiſtit, & cuius author eſt diabolus) omnino non probare, & ſi naturæ opus in improbis non prohibeat, quod niſi mala uoluntas accederet ex ſe malum non eſſet. In ſumma, hoc habet ſpiritualis perſuaſum, dei uoluntatem ſemper & ubiq; fieri, ac deum nihil uelle, niſi quod eſt optimum: proindeq; iuſtum ac ſanctum eſſe, ut nos totos dei uoluntati ſubmittamus, ut deo nunquã obmurmuremus, ſed potius tam in aduerſis quàm in proſperis gratias ipſi agamus. Atq; hoc ipſum eſt, quod petimus, dicentes. Fiat uoluntas tua. Quo quid aliud poſtulamus? niſi ut deus eum affectum nobis inſpiret, ne pro noſtro iudicio & ratione, ſed ex dei uoluntate, uiuendi agendiq; rationem ineamus, ne noſtris conſilijs dei uoluntatem anteuertamus, utq; quicquid agendum ſuſcipimus, dei uoluntati committamus, ut nihil faciamus, niſi quod deo probari confidimus: & ut in iudicando fallamur, hoc tamen ſemper potius ducamus, ut uel deus conatus noſtros impediat, quàm ut ſuæ uoluntati quicquã contrariũ operemur. breuiter, ut potius dei uoluntas de nobis fiat quàm noſtra. Sic nos docet Iacobus, non ut dicamus, Hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annũ, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoramus, quid erit in craſtino. Sed potius dicamus, Si dominus uoluerit, etſi uixerimus, faciemus hoc aut illđ. Sic Paulus non proficiſcitur ad Macedones, niſi uocatus: rurſus in ſpiritu iuſſus reuerti Hieroſolymam, non audit Agabum prophetam prædicentẽ ipſi uincula & carceres, Non audit diſcipulos profectionem deprecantes, ſed dei uoluntati ſe committit. Ioſiæ (alioqui pio regi) male ſucceſſit, ꝙ bellum ſuſcipiens, dei uoluntatem præuerterit. Secundo, quum dei uoluntas ſit, ut unuſquiſq; in qua uocatione uocatus eſt, in ea permaneat apud deum, hoc eſt, ut ſortem ſuam æquo animo ferat, non contendat ſtatum ſuum temere mutare (niſi aliqua cõmoda a domino detur occaſio, melioris conditionis, citra ullam rerum perturbationem amplectendæ) ſed magis ut cuiq; ſua ſors contingit a deo, in ea Chriſto quieto ac tranquillo animo ſeruiat. Alligatus es (inquit Apoſtolus) uxori, noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorẽ. Si autẽ acceperis uxorẽ, non peccaſti. Seruus uocatus es, nõ ſit tibi curæ, ſed & ſi potes fieri liber, magis utere. Vnũquemq; ergo ſicut uocauit deus, ita ambulare oportet. Sed quũ

uix reperias ullum hominem(niſi renouatum)qui eiuſcemodi dei uoluntati libens obſequatur,quod gentilis poeta non tacuit,quũ inquit·Qui fit Mæcenas,ut nemo quàm ſibi ſortem,Seu ratio dederit,ſeu ſors obiecerit,illa,Contentus uiuat, laudet diuerſa ſequentes.Idcirco nobis a deo poſtulandum eſt, ut uocationem noſtram æquo animo feramus,ut in ea tranquilla mente perſeueremus, ut ſanctè pieq;(quod in omni ſtatu fieri poteſt)uiuamus.Vt quicquid affert ſtatus temporariæ ſolicitudinis,negligamus, Vt qui habent uxores,tanquãnon habentes ſint,& qui flent,tãquã non flentes,& qui gaudent,tanq̃ non gaudentes& qui utuntur hoc mundo,tanq̃ non utantur.præterit enim figura huius mundi.Breuiter,ut tantum ſoliciti ſimus quæ domini ſunt,& quomodo domino placeamus.Tertio,hac particula à deo petimus,ut æqua mente tam in proſperis,q̃ in aduerſis ſimus,ut dei uoluntas fiat,ſiue nos uiuere,ſiue mori uelit, ſiue affligi ut corrigamur,ſiue ſubleuari,ut ſuæ benignitati gratias agamus.Petimus inquã,ut iniuriam nobis illatam patienter feramus,ut uindictæ cupiditate careamus, ut per contumeliam,uim,uel calamitatem nobis immiſſam, diuinam fieri uoluntatem agnoſcamus,q; hæc omnia ſic adminiſtret deus, ut noſtra uoluntas impediatur, quo magis ſua uoluntas in nobis dominari poſſit.

RVrſus,hoc petimus,ut ſi quis aliter quã nos uolumus,faciat quid, aut omittat, loquatur ut ſileat ne ea re ad iram & impatientiam commoueamur, ne queramur,uociferemur,iudicemus,condemnemus aut alios calumniemur.Vt ijs qui noſtræ uoluntati aduerſantur,placide cedamus,atq; etiam pro rei qualitate gratias agamus, ueluti qui optimam dei uoluntatem contra noſtram(quæ mala eſt)promouerit.Petimus quoq; eum affectum nobis donari,ut ſentiamus nobis neminem incommodare poſſe,niſi idem multo magis ſibiipſi coram deo noceat,ut proinde magis ad miſericordiã, q̃ ad uindictam contra proximum de nobis male merentem incitemur, nec ob id gaudeamus,ſi illi qui nobis minime parentes fuerint,in calamitatem inciderint, uel etiam ipſis,bonũ rerũ ſucceſſum inuideamus:ſed potius ut bona pro malis rependere ſtudeamus,& ſimiles patri noſtro eſſe pergamus,qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.Præterea petimus,ut omnis fortunæ,dolorum,cruciatuũ,ægritudinum,morborum,breuiter,omnium aduerſitatũ uictores ſimus,ut hæc,ſimul & inopiam,ignominiam,tyrannides,uim potentiorum,crucem,& omnia incommoda,quin & ipſam mortem patienter feramus,ſentientes in hoc dei fieri uoluntatem,ut caro noſtra mortificetur.Deniq; petimus,ut patienter & læto animo hinc emigremus ac obdormiamus, ne impatientia aut deſperatione uicti,dei uoluntati repugnaſſe uideamur.Hæc omnia uides Chriſtum Ieſum exactiſſime,perfectiſſimeq; exoptaſſe,& feciſſe, & docuiſſe. Ille carnis, mundi, ac Satanæ uoluntatem & tentationis fortiſſime ſuperauit. Ille non tantum turbæ uolenti eum,ut regem faceret,rapere,ſed & electis diſcipulis atq; adeo amantiſſimæ uirgini matri(alio,q̃ quo,patris uoluntas)uocantibus reſtitit, ubiq; teſtatus ſe ueniſſe de cœlo, non ut faceret uoluntatem ſuam, ſed eius qui miſit eum patris.Ille deniq; agnus omnium innocentiſſimus,qui peccatum non fecit, & in

cuius ore dolus inuentus non eſt factus eſt obediens patri uſq; ad mortem mortẽ autẽ crucis, & infirmitatẽ hominis. quẽ portabat, oſtenderet, dixit: Pater, *ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte.* Vt *autem exemplum nobis tribueret, quod dei uoluntatem noſtræ omnino anteponeremus, ſubiecit:* Veruntamen, *non quod ego uolo, ſed quod tu uis, ut pudere debeat hominem, ſeruum, ſuam dei uoluntati præferre, ubi unigenitus dei filius, in mortem uſque a deo patri obediens eſſe uoluit, atq; adeo omnes iniurias, contumelias, conuitia, cruciatus, & cætera, quæ crucifixores eius ipſi intulerunt, patienter tulit, ut etiam pro illis patrem exorauerit, dicens:* Dimitte *illis quia neſciunt quid faciunt.* Hinc *Chriſti ſpiritum omnes pij, quotquot ab origine mundi fuerunt, aſſequuti, ſimiles egerunt de ſua uoluntate triumphos, dei uoluntati in omnibus obtemperantes, quemadmodum uidere eſt in* Abel, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Dauid, *ac cæteris patriarchis & prophetis, in ſanctis* Apoſtolis, *glorioſis martyribus, pijs confeſſoribus, ac ſacratis deo uirginibus.* Eũdem *ergo affectum, ut nobis deus ingeneret, oramus, dicentes.* Fiat *uoluntas tua.*

SICVT IN COELO ET IN TERRA. *Germanus ac principalis intellectus particulæ eſt.* Quemadmodum *(o pater cœleſtis) uoluntas tua perfecte fit in angelis & cœleſtibus ciuibus, qui tibi unanimes ſeruiunt, tuæq; diuinæ uoluntati ſummo ſtudio adhærent, teq; fruuntur, nullo errore obnubilante ſapientiam eorum, nulla item miſeria eorum beatitudinem impediente:* Et *quemadmodum in cœlo omnia libere fiunt, & non alia quidem audiunt angeli, alia uero contemnunt, ſed uoluntati ce lunt diuinæ, & in omnibus obſequuntur, quemadmodum* Pſaltes *ait:* Benedicite *domino omnes angeli eius, potentes uirtute, qui facitis uerbum eius, ad audiendam uocẽ ſermonũ eius.* Item: Benedicite *domino omnes uirtutes eius, miniſtri eius, qui facitis uoluntatem eius:* Ita *ô pater, præſta, ut tua quoq; uoluntas in hominibus, qui in terra ſunt, & de terra (quod ad corpus attinet) facti ſunt, ſine ulla remora inculpare & ex integro fiat, ut quẽadmodũ in cœlis ſumma pax & concordia eſt (unde eiectus eſt diabolus) ita & in terris per filium tuũ, per cuius ſanguinem pacificata ſunt omnia, uel in cœlo uel in terra, pax bonæ uoluntatis redundet, ut quemadmodum angeli, ita homines tuis diuinis iuſſionibus, deuictis carne, mundo ac* Satana, *unanimes ac tranquille pareant ac obediant.* Ad *hoc certe reſpicit angelica illa prædicatio, gloria in excelſis deo, & in terris pax hominibus bonæ uoluntatis, quàm alibi explicauimus.* Secundo, *ſic poteſt intelligi particula, ut quemadmodum in cœlo, hoc eſt in iuſtis, qui cœlis comparatur, ita quoque in peccatoribus et iniuſtis (qui ſcripturis terra appellantur) dei uoluntas fiat, ut ſcilicet peccatis exploſis & immundis ſpiritibus eiectis, deum agnoſcere incipiant, & ad animi tranquillitatem per pœnitentiam redeuntes, una cum iuſtis dei uoluntatem faciant, & exequantur.* Tertio, *non eſt abſurdus intellectus (quem & ſuperius attigimus) ut pro cœlo & terra accipiamus ſpiritum & carnem, ut ſit ſenſus, quemadmodum ſpiritus in renouatis non reſiſtit deo, ſequens & faciens uoluntatem eius, ita & corpus non reſiſtat ſpiritui.* Et *quemadmodum ſpiritu*

ſeruimus legi dei, ita etiam carne ſeruiamus, quod tandem perfecte fiat in uita illa æterna, ubi erit ſumma pax, ubi non ſolum uelle bonum adiacebit nobis, ſed etiam perficere. Interim tamen orandum eſt, ut quemadmodum corde ſecundum interiorem hominem condelectamur legi dei, ita etiam corpus ſenſim mortificetur, mortificatumq; huic delectationi accedat, ut tandem integer ſpiritus noſter, & anima, & corpus ſine querela in aduentu domini noſtri Ieſu conſeruetur. Certe ſi fideliter hoc oramus, Fidelis eſt qui uocauit nos, qui etiam faciet.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE.

SVperiores petitiones ſummam ſalutis noſtræ cõtinent, quibus ea poſtulamus, quæ ad perfectam & abſolutam beatitudinem, quam olim cum angelis communem habebimus, poſtulamus. Sed quoniam interim carnales ac mortales ſumus, multa & ſpiritus & animi ſuſtentatione egentes, donec ad ultimam illam immutationem, per quam mortale hoc induet immortalitatem, perueniamus, Idcirco eas etiam petitiones annectimus, quibus omnia tam ſpiritualia quàm temporalia bona ad hanc uitam traducendam neceſſaria nobis donari poſtulamus: Mala item omnia (quæ nos ab inſtituto curſu ad regnum cœleſte nobis per Chriſtum promiſſum remorari poſſunt) deprecamur, iuſtisſimo ordine ab hac particula ordientes. PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE. Quæ particula, ut cæteræ omnes, quod dictiones habet, tot habet & myſteria. Panis (ut ſuperius in ſacramentum Euchariſtiæ diximus) in ſcripturis uarie accipitur. Nam quandoq; deſignat omnia ad præſentis uitæ ſubſidium neceſſaria, & præſertim ea, quæ ad uictũ & amictum ſpectant: In quam ſententiam dixit Iacob Gene. xxviij. Si dominus dederit mihi panem ad ueſcendum, & ueſtimentum ad induendum erit mihi dominus in deum: & lapis iſte, quem erexi in titulum, uocabitur domus dei. Vnde hoc uocabulo panis ſic accepto, ueniunt omnia, quæ ſunt ad hanc uitam corporalem neceſſaria, quæ Chriſtus his uerbis, Matthe. vi. deſignare uoluit (hæc omnia adijcientur uobis.) Interdum uero panis ſpiritualiter accipitur, idq; trifariam. Primum pro uerbo dei, quo fidelis anima ſubinde reficitur ac ſuſtentatur, quemadmodum Deuteronomij octauo, & Matthæi quarto legimus: Non in ſolo pane uiuit homo, ſed de omni uerbo, quod procedit de ore dei. Secundo, panis proprie Chriſtum deum & hominem ſignificat, quatenus ſcilicet pro nobis de cœlis deſcendit, carnem induit ac immolatus eſt. nam quum eatenus fide percipitur, fit uerisſimus ac efficacisſimus animæ cibus, dum ſcilicet fide in carnis ſuæ immolationem nos certos reddit de parta ſalute, ac, ſupra quam dici poteſt, delectabiliter ad uitam æternam reficit. Quid enim iucundius, quàm cum tali fiducia freti, non dubitamus nos propitium habere deum & patrem, atque hinc fore, ut olim omnibus peccatis exuti, & uera iuſtitia pleni, æternam & beatam uitam cum ipſo Chriſto & patre uiuamus? In quam ſententiam dixit Ioannis cap. vi. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet

in uitam æternā.quem filius hominis dabit uobis. Et ſtatim poſt. Ego ſum panis uiuus, qui de cœlis deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi uita. Tertio deniq;, panem pro ſacroſancta. Euchariſtia accipi conſtat. in qua nobis nō tantū caro et ſanguis Chriſti ſpiritualiter, ſed etiam naturaliter & corporaliter porrigitur. Quemadmodū Paulus teſtatur, quū ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis domini eſt?

IAm conſtat, omnia hæc, quæ appellatione panis continentur, hac precationis dominicæ particula recte peti. In primis enim hac ipſa particula petimus, quęcunq; ad præſentis uitæ ſubſidium neceſſaria ſunt, ueluti ſunt cibus, potus, ueſtes, certæ ſedes, ac alia omnia, ſine quibus commode uiuere non poſſumus. Sed roges? Qui fit, ut nos dominus orare iubeat pro his adipiſcendis, quæ huic uitæ neceſſaria ſunt, quum ipſe dicat, Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater ueſter cœleſtis, quia is omnibus indigetis. Nam ſi pro his ſoliciti eſſe non debemus, ne orandum quidem pro eis uidetur, quum oratio non niſi cum ſumma animi intentione ac ſolicitudine dirigenda ſit. Itidēm quum Chriſtus dicat, Quærite primum regnum dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis, uidentur hæc non quærenda, proindeq; nec petenda, ſed tantum regnum dei & iuſtitia eius. Præterea, etiam non oremus, nihilo ſecius nō tantum pijs, ſed & malis hominibus panem quotidianum largitur deus, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos? Quid ergo eſt quod Chriſtus nos orare iubet in hūc modum, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie? niſi ut doceat hæc nos, non aliunde quàm a deo petere, & expectare oportere, ut ſcilicet nos a mundanis hominibus diſcernat, ac alio affectu quàm uulgari non præditos eſſe debere declaret. Mūdi enim iudicio ſtulta prope modū hæc uidetur petitio, quod mundus, quicquid ad ſuſtentandū corpus pertinet, magis labori ac ſolicitudini humanæ tribuat, quàm a deo expetat aut expectet, Sed pij, quicquid id eſt quo uitam traducimus, inter dona dei computandum eſſe ſciunt. Rurſus, hoc eſt impijs cum pijs commune, ut habeant panem ad manducandum, nec raro longe abundantius pijs. Sed hoc intereſt, quod piorum eſt panem de manu dei, id eſt benigna illius gratia cum gratiarum actione percipere, cum impijs per iniuſtitiam diabolus præparet. Ergo petitionis huius hic eſt ſenſus, Quemadmodum filij huius mundi quamdiu non ſunt abdicati uel emancipati, ſed in parentum poteſtate cōſtituti, de uictu ſoliciti non ſunt, ſed tantum quum opus eſt, cibum a parentibus poſtulant, certi ſe quod petunt accepturos, Sic multo minus deceat nos de uictu ſolicitos eē, qui edocti ſumus omnem craſtini ſolicitudinem abijcere, ac agnoſcere patrem noſtrum cœleſtem tam diuitem, tam benignum, tam amantem, cui tantopere curæ ſumus, non commiſſurum, ut quum paſſerculis etiam de uictu proſpiciat, quum lilia campi tanto decore ueſtiat, nobis in filios cooptatis uictus aut amictus a ſe petitus & expectatus unquam deſit. In quam ſententiam Pſaltes dixit: Iunior fui, etenim ſenui, & non uidi

iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem Et Salomon Prouerbiorum decimo ait, Deum non occidere fame animam iuſti, Id quod & inſignibus exemplis Heliæ, Heliſæi. & Danielis prophetarum manifeſtum euadit. Nec tamen hoc putandum eſt, Chriſtum noluiſſe ut laboremus, quum ad laborandum conditi ſimus, quemadmodum aues ad uolandum, & Geneſis teſtatur, iusſiſſe & ordinaſſe deum, ut Adam poſt lapſum, uictum in ſudore uultus ſui quæreret: ſed hoc uoluit Chriſtus, ne laboribus noſtris, ueluti cauſſæ, rei euentum tribueremus, ut uictum ſolicitudini noſtræ acceptum feramus, ſed magis deo, qui ſi laboribus noſtris ſuam benedictionem non addat, terra præter ſpinas ac tribulos nihil nobis germinabit, atque adeo labores noſtri, ſi dei benedictio non accedat, etiam quod ad corporalem ſuſtentationem attinet, parum aut nihil proderunt, quod & res ipſa declarat, quum deus permittit fruges clade interire. tum enim uidemus quàm non ſit in nobis ſitum, ut terra laboribus noſtris reſpondeat, ſed plane experimur, totum a deo pendere. Laborandum eſt itaq;, ſed auium more, que officium quidem ſuum cantando expediunt, ſed interim de uictu ſolicitæ non ſunt, ex dei prouidentia reperientes quod edant. Laborandum inquam eſt, ne deũ tentare uideamur, ſi contra eius ordinationem foueri cupiamus, ſed ſine ſolicitudine, nimirum labores noſtros dei benedictioni permittentes, ac ab eo ſolo pendentes, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Qui ſic in timore dei laborãt, hi ſoli labores manuum ſuarum manducabunt, ideſt dona dei cũ gaudio cordis et gratiarum actione percipient. Quum interim impijs ſeſe labore enecantibus, uanum ſit ante lucem ſurgere, qui etſi coram mundo locupletisſimi appareant, non alium tamen, quàm panem doloris manducant.

VT ergo Chriſtus tam uanam ſolicitudinem, & præter benedictionem dei prorſus inutilem nobis eximeret, & ut quicquid eſt ſuperfluæ uolutpatis magis quã neceſſariæ frugalitatis reſecaret, in primis ſimplici uerbo, panis, utitur, ut intelligamus, nos nec delicata nec ſuperflua, ſed tantum neceſſaria petere debere, ac habentes alimenta & quibus tegamur, his contentos eſſe oportere. In quem modum Solomonem quoque poſtulaſſe legimus, Prouerbiorum triceſimo. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, ſed tantum tribue uictui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciat ad negandum, & dicam, Quis eſt dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomen dei mei. Et idcirco non fruſtra in hac petitione addimus, NOSTRVM. Noſter enim panis eſt, quem deus nobis ad uſum tantum humanæ uitæ ſuppeditat, quo cõmode & neceſſario ad pie uiuendum, & fratribus inſeruiendum alimur, non quo ad laſciuiendum præter necesſitatem luxuriamur. Noſter eſt, quem dominus iuſtis rationibus partum nobis ſuppeditat, non quem fraude, dolo, calumnia ue, conquirimus, & ex proximi ſubſtantia ac ſanguine exugimus. Nec hoc contentus, addidit Chriſtus, Quotidianum, Item, Hodie, ut omnino quid uellet, intelligeremus. Per (quotidianum) enim, uictum parabilem intelligi uoluit, adimens ſtudium ſumptus & deliciarum. Per (hodie) denique ſuſtulit curam craſtini. Quemadmodum Paulo poſt apud Matthæum

ait: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibiipſi: ſufficit diei malitia ſua. Perinde atque ſi ſingulis noſtrũ diceret, Iacta ſuper dominũ curã tuã & ipſe te enutriet: Non eſt quur anxia ſolicitudine & cura te emaceres, ꝓ uictu in annos & dies plurimos congregando, quod hanc irrideat deus, quemadmodum parabola de homine diuite (cuius uberes fructus ager attulit) declarat, Is enim cum multa ſolicitudine ſibi diuitias paraſſet, horrea priora deſtruxiſſet, maiora feciſſet, & illuc omnia, quæ nata ipſi erant, congregaſſet, Et iam animæ ſuæ diceret, Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe & epulare, en ex inſperato audiuit ſibi deum dicentem: Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te, quæ autem paraſti, cuius erunt? ubi ut parabolæ uim explicaret, continuo ſubiungit, Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in deum diues, Nimirum omnes qui eodem ſunt affectu, eadem damnationis cenſura percellens.

NEc grandi myſterio carent hæc uerba DA NOBIS. Quo in primis ſignificamus noſtram indigentiam & inopiam, Deinde conuincimur etiam quod ex nobiſipſis hunc panem habere non poſſimus, ſed ſolum deum, eum eſſe, qui eum & dare poſſit & uelit. Quo etiam hoc ſimul oramus, ut deus nobis eam cognitionẽ donet, qua certo ſentiamus eum panem quo alimur, ac cætera omnia quibus ſuſtentamur, diuinitus nobis donari, utq; pro tanto beneficio ipſi grati ſimus, iuxta illud, Pſaltis: Omnia a te expectant, ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Item Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno, Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quamobrem parochi ſummo ſtudio plebem admonere debent, ne morem illum omnium pientiſſimum, benedicendi domino ante cibum ſumptum, & gratias agendi deo poſt ſumptum (quem a Chriſto profectũ & ab omnibus pijs in hæc uſq; tempora uſitatum conſtat) intermittant, aut negligant, quod uel hoc ipſo more, quæcunque in particulam diximus, in memoriam nobis reuocentur, fiducia erga deum alatur, & debitæ gratiæ ipſi pro collatis beneficijs reddantur.

POrro quod dicit. NOBIS pluraliter, nõ mihi hoc ipſo Chriſtus indicat, deũ, quæcunque dat, non nobis ſolis dare, ſed & alijs per nos, & proinde partẽ illorum cedere debere ſibi parare non ualentibus, atque eo ipſo tenacitatem tollit, rerum communionem (quum neceſſitas proximi poſtulant) largitatemq; & liberalitatẽ commendat. Ergo fruſtra in hunc modum orabunt impij, qui non tantum pauperibus, quæ acceperunt, a deo communicare renuunt, ſed & inſuper pauperes diripiunt, ſpoliant, ac fraude, doliſq; ſeu etiam iuris uerſutia circumueniunt ut ſe ſolos locupletent, quos ſummopere odit, & quàm maxime in prophetis deteſtatur deus Certe Chriſtianus iudicare debet ſe nihil tanquam proprium tenere, ſed omnia in uſus proximi, quum res poſtulat, lubenti animo communicanda eſſe. Recte dictum eſt in tenaces & ſordidos, Paſce fame morientem: ſi non paueris, occidiſti. Et alibi: Eſurientium panis eſt, quem tu detines, nudorum ueſtimentum eſt, quod tu recludis, miſe-

rorum redemptio eſt pecunia, quam tu in terram recondis.

SECVNDO, *hac particula petimus, ut pater ille cœleſtis non ſolum corporalem, ſed & cœleſtem & ſpiritualem alimoniā, qua animus & ſpiritus noſter uegetatur, nobis impertiat. Et in primis, ut intellectum diuini uerbi, & diuinorum mandatorum ſuorum dare dignetur. Verbum enim dei uere ſpiritualis panis eſt, qui animū paſcit & reficit, quemadmodum locus ille Matthæi cap. iiij. ſupra citatus, atque adeo res ipſa teſtatur. Rurſus meditatio & operatio diuinorum præceptorum panis eſt, quem Pſaltes dulciorem eſſe pronunciat ſupra mel & fauum. Petimus itaque, ut deus hunc panem nobis dilargiatur, ut ipſe eum nobis frangat ac impertiat, utque eo hēpane & intellectum & uoluntatem noſtram reficiat ac corroboret. Præterea ut quotidie nos eum panēoperari (hoc eſt, ut nos ſedulo in lege dei meditari ac ambulare) faciat, quo ſcilicet eiuſcemodi ſpirituali alimonia aliti & confortati, tandem ad illam perfectionem, abſolutamq; uitæ beatæ ſaturitatē peruenire mereamur. Vocatur quoq; & iſte cibus Quotidianus, quod quādiu iſta uita temporalis per dies decedentes ſuccedenteſq; peragitur, animi noſtri affectus, nunc iu ſpiritualia, nunc in carnalia alternent: quo fit, ut quotidie panis iſte nobis neceſſarius ſit, quo animus ſubinde relabens & eſuriens erigatur, reficiaturq;. Petitur autem & hic panis, nobis a deo dari, quod uerbum dei non aliter ſalutare ſit, nec in animæ uiſcera traijciatur, fructum ſe dignū pariens, niſi deus ipſe intus docuerit, Fruſtra, ſi quidem concionatoris uox aures foris pulſabit, niſi & unctio (ideſt, gratia ſpiritus) ſancti uerbi uim in animi receſſus inſerat, ac faciat nos Theodidactos, ideſt, a deo doctos. Certe qui quotidie, in intellectu uerbi dei promouet, adoleſcitq;, & grandeſcit quotidianis uirtutum auctibus, is ſolus uere ſentit, quam dulcis animæ cibus ſit, uerbū dei, ut iam libeat exclamare cum Dauid, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et iterum, Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Hoc cibo iuxta naturæ noſtræ modulum, donec hāc temporalē. uitāgerimus (quod, hodie, denotat) ali nos oportet, donec ad pfectū robur plenitudinis, quæ eſt in Chriſto Ieſu, nunquam non proficientes perueniamus.*

TERTIO, *& magis peculiariter panis quem petimus, ipſe Chriſtus eſt uitæ largitor, & author, quem nobis fame pereuntibus de cœlo mittere deus dignatus eſt. Non enim explebat animum noſtrū panis philoſophorum, aut fermentum Phariſeorum, ſed panis ille cœleſtis, qui dat uitam mundo. Petimus ergo, ut deus hunc panem nobis quotidie det, ideſt, ut per ſpiritum ſuū nos doceat incarnationis Chriſti myſteria, idq; per fidem, qua ſciamus & cognoſcamus Chriſtum carnem ſuam dediſſe pro mundi uita, hoc eſt, pro noſtra redemptione, deoq; patri pro noſtris peccatis ſatisfeciſſe: Deinde in hac carne reſurrexiſſe, ut certi ſimus, eum regnare nunc immortalē, in hoc, ut nos in membra ſua coagmentatos, plane iuſtificet, & reddat etiam poſt hanc exactam uitam immortales & beatos. Sic enim ſpiritualiter paſcitur animus noſter ſuauiter, fide recolens, quod Ieſus Chriſtus traditus eſt pro delictis noſtris, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrā. Petimus autem hunc panem nobis quotidie dari,*

hoc eſt.hanc fidē in nobis in dies augeri,quo tandem eo perducamur, ut & ipſo deo, ideſt,diuinitate Chriſti, qua idem eſt cū patre, paſcamur,lætiq; ac alacres uitam ſanctam in deo agamus,certi ac ſecuri,ꝙ hunc panem manducantes,hoc eſt, in Chriſtum pro nobis crucifixum & mortuum credentes,non moriamur in æternum, ſed transeamus a morte in uitam.Quoniam uero hæc perfruitio deitatis hic nondum plena eſt,tū uero plena erit,quando extincto in nobis per ſpiritum Chriſti omni peccato, deus in nobis erit omnia in omnibus,Idcirco poſtulamus hunc panem hodie,hoc eſt.quantiſper nos hanc mortalem uitam uiuimus,nobis dari.Petimus etiam,ut hunc panem ipſe det, qui dixit:Et panis,quem ego dabo,caro mea eſt pro mundi uita.Nam hæc fides nō aliunde quā ex mero dei beneficio,animis noſtris infunditur,neque aliter quam promouente ſpiritu dei augeſcit.Sicut ſcriptum eſt.Quia non caro aut ſanguis reuelauit tibi,ſed pater meus,qui in cœlis eſt.Hæc eſt illa fides,qua regeneramur,renaſcimur,ac in Chriſto adoleſcimus,quemadmodum ſcriptum eſt,Et dedit eis poteſtatem filios dei fieri his,qui credunt in nomine eius,Qui non ex ſanguinibus,neque ex uoluntate carnis,neque ex uoluntate uiri,ſed ex deo nati ſunt.

QVARTO, Quoniam neceſſarium erat,ut Chriſtus hanc fidem in nobis ſacramento aliquo inſigni ac uiſibili roboraret,ac certos etiam efficeret,ubi tale ſacramentum non indigne participaremus,Chriſti beneficiū ad nos omnino pertinere,Idcirco recte etiam petimus,ut pater cœleſtis det nobis panē illum ſuperſubſtantialem in ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramento tectum & uelatum quem recte noſtrum dicimus,quia ſicut deus intelligentium & credentium pater eſt, ſic & Chriſtus,quum corpus & ſanguinem eius in Euchariſtia per fidem contingimus & edimus,noſter panis eſt.Petimus autē hunc panem nobis quotidie dari, quod ſic nobis uiuendum ſit,ut eum quotidie accipere mereamur.Atque utinā omnes Chriſtiani ſic uitam ſuam inſtituerent,ut quemadmodum olim in primitiua eccleſia occidētali,non tantum ſpiritualiter,ſed etiam ſacramentaliter communicabant corpori dominico,ſic & hodie omnes ad Euchariſtiæ perceptionem debita pietate accurrerent, quod id infirmitas noſtra plurimum requirere uideatur.Nam ſi quotidie peccamus,ac peccatum peccato cumulamus,quotidie etiam hic panis myſticus neceſſarius uidetur, qui animæ laboranti & peccatis obrutæ certiſſima eſt medicina,& præſentiſſimū remedium.At ſi ea eſt temporum horum conditio,ut hic mos non facile in uſum reuocetur,uiderint fideles ſacris aſtantes,ut ſaltem ſpiritu ac mente communicent cum deſiderio,quum opportunum erit,etiam ſacramentaliter communicandi.Sed de hoc alias latius diximus Datur autem hic ſacroſanctæ Euchariſtiæ panis,non ab alio,quā a deo & Chriſto filio eius.Ipſe eſt enim non miniſter ſacerdos qui reuera baptizat, & qui carnem & ſanguinem ſuum nobis præbet in remiſſionem peccatorum.Et quamuis hic panis ſempiternus ſit,quotidianus tamen dicitur,& ad hoc tempus pertinet,inquantum ſcilicet miniſtratur animæ,quibuſdam ſignis ac dictis,& quatenus ad quotidianam peccatorum,in quæ in dies incidimus,remiſſionem proficit.

ET DIMITTE NOBIS DEBI-TA NOSTRA.

HIc debitorum nomine peccata ſignificari manifeſtum eſt ex Luca, qui eandē petitionem in hæc uerba renarrat. Et dimitte nobis peccata noſtra. ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Porro peccata debita dicuntur, ac debitis aſsimilantur, Matthæi decimooctauo, quod non ſecus atque debitor obligationis uinculis obſtrictus ſoluere, quod debet, tenetur, Ita peccator funibus peccatorum obligatus, pœnæ luendæ obnoxius eſt. Sic Chriſtus de hominibus illis decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloe, reſpondens: Putatis (inquit) quia hi præter omnes homines habitantes in Hieruſalem fuerunt debitores, id eſt, peccatores ac pœnæ obnoxij. nā continuo addiecit: Non dico uobis. ſed ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Chriſtus itaq; hac orationis particula non hoc iubet, ut pecuniam mutuo datam, debitoribus remittamus, ſed tantum ut ueniam demus in nos peccantibus Chriſtiana enim philoſophia ſeu Euangelium docet nos de quadam ſpirituali & æterna iuſtitia in corde, quæ inter alia poſtulat, ut uolentes nobis a deo dimitti peccata, Fratribus ſimiliter in nos peccantibus offenſam ex corde remittamus, quod alioqui cor aut ira aut uindictæ cupiditate æſtuans, iuſtitiæ ſpiritualis capax omnino non ſit. Interim (ut iam diximus non uetat Chriſtus) quo minus repetamus pecuniam mutuo datam, aut quod noſtrum eſt, qui ne uetat quidem, ob id legitimo iure experiri. Nam quod apud Matthæum legimus, dominum dixiſſe, Ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, eo (quemadmodum id genus alia) dictum eſt, ut Chriſtus animum formaret, non ut imperia ſeu iudicia terrena, quæ ſunt ordinationes dei aboleret, ſeu illicita iudicaret. Vult Chriſtus in ſuis ante omnia uigere, charitatem, uult, ut alieni ſint ab omni ira amaroq; affectu, maxime uero a uindicandi cupiditate. Vult, ut ſtudeant, quantum in eis eſt, etiam cum rerum ſuarum temporariarum iactura pacem habere cum omnibus hominibus. Is itaque eſt ſenſus CHRISTI uerborum: Si incideris in hominem contentioſum, qui malit ad iudicium prouocare, quàm tibi quod tuum eſt, uel dare uel relinquere, & periculum ſit te eiuſcemodi aduerſarij tui malitia (ut fere fit) detrimentum dilectionis proximi facturum, aut amaritudinem quandam, ſeu uindicandi affectum animo inde concepturum, potius eſt ut iacturam rei familiaris quam animi facias, Quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ uero ſuæ detrimentum patiatur? Quin & ethnicis litigandi ſtudium tam inuiſum fuit, ut quoad poſſent, omnem litigandi materiam abſcinderent, ac ſubmouerent, iudicantes eum, qui pacem emeret, adeo non facere iacturam, ut etiam plurimum lucraretur. At ſi quis eſt, qui animum Chriſtiano homine dignum gerit, a tranquillitate non facile dimobilem, nec temere amaris affectibus, ab his quæ extrinſecus acciderint, corrumpendum, is ſalua conſcientia, ac licite, quod ſuum eſt, iure repetierit, ſi tamen modeſte ac leniter egerit,

hoc eſt, ad eam regulam, ut in animo ſemper paratus ſit, magis amittere quod ſibi debetur, quam Chriſtianam lædere charitatem, ac iure experiundo, non tam intendat fructum pecuniæ, quam ut proximum malitioſum debitorem ſuum corrigat. is enim ſi habet, unde tibi quod debetur reddat, & reddere per calumniam denegat, tum non ſolum non peccabis in eum, ſed etiam proderis ei plurimum, ſi iure repetas quod tuum eſt, ne ille dum alienam pecuniam lucrum facere uult, damnum fidei patiatur, quod tanto eſt grauius, ut nulla ſit comparatio Paulus certe non damnat uſum iudiciorum ad uitam corporalem traducendam apprime neceſſarium, ſed damnat, quod Corinthij mallent apud iniquos nimirum ethnicos iudices, quàm apud ſanctos iudicari, perinde atque non fuerit inter eos ſapiens quiſquam, qui poſſet iudicare inter fratrem ſuum, qui poſſet controuerſiolas inter fratres ſubortas, citra tumultum, aut gentilium ſcandalum componere, aut etiam diiudicare. Damnat itaque hoc *litigandi indecorum, procliuitatem ſcilicet ac temeritatem, maxime uero uindicandi (qui raro a litigando deeſt) affectum, uerum iudiciorum uſum integritate animorum (quæ* Chriſtianos *docet) ſalua permanente, adeo non damnat, ut alibi ualde celebret.* Itidem, *non uetat* Chriſtus, *quum iubet dimitti debitoribus noſtris, publicos latrones, homicidas, adulteros, & id genus reipublicæ peſtes iure publico accuſari, ac etiam puniri:* Multo *minus iubet, ut temere ipſis commiſſum ignoſcamus, aut ad ipſorum ſcelera conniueamus.* Nec prohibet *etiam, quo minus magiſtratus auxilium ad propellendam uim priuatam imploremus, tametſi dicat, Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram, quod alioqui fruſtra* Euangelium *plurimis alijs in locis doceret, imperia ac magiſtratus, eſſe ordinationes dei bonas, præſentes item poteſtates obedientia ac honore colendas:* Poteſtatem *quoque non fruſtra gladium portare, ſed in hoc a deo conſtitutam eſſe, ut gladio utatur in laudem bonorum, & uindictam male factorum.* Neque Chriſtus *ipſe Cæſaris imperium ſuis uerbis firmaret, quum ait:* Reddite, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt dei, deo.* Quo *quidem reſponſo, etſi ſuum regnum, quod ſpiritale eſt, a corporali regno diſerte diſcreuerit, ſuum tamen cuiq; tribuendum eſſe indicauit,* Deo *perpetuam animi iuſtitiam ac innocentiam, Cæſari uero, quod leges ciuiles ac publici mores ei præſtari uolunt, ac iubent.* Hic *ergo dominicæ orationis locus, & ſimiles in* Euangelio, *qui uindictam prohibent, intelligendi ſunt de priuata uindicta non de publica, quam exercet magiſtratus, quem & Paulus miniſtrum dei appellat, ac uarijs encomijs illuſtrat.* Itaque *neq; accuſator ſeu delator publici criminis peccat in* Euangelium, *modo tamen ceſſet priuata uindicandi libido, ac deſit priuatus animi dolor, ſeſe, ſi liceret, ulciſci paratus, & hoc tantum quæratur, ut publica ſcelera iuxta leges, quæ dei ordinationes ſunt, puniantur, utq; reipublicæ tranquillitas ſeruetur.* Neq; *peccat, qui uidens ſibi uim intentari, uel ad Cæſarē, uel præſentē prouocat magiſtratū.* Id qđ & Paulus *feciſſe legitur apud* Feſti *perſidis tribunal* Sed *de hoc obiter dictū ſit ſatis. hic admōuiſſe ſufficerit, uerbo debiti hoc locū peccatiū*

uenire, non pecuniam, quod alioqui nobis iure ciuili debetur.

SEd iam ad expoſitionem dominicæ orationis reuertamur. Superius itaque a deo precati ſumus, omnia ea bona, quæ a deo peti poſſunt. In primis æterna ac ſpiritualia, Deinde etiam corporalia ac temporalia. hic docet nos CHRISTVS *deprecari omnia mala tam corporis quam animi, ſiue huius temporis, ſiue æterna. Principio itaque iubet, nos a deo petere remisſionem peccatorum noſtrorum, quibus tanq̃ funibus conſtringimur, quo principio hoc oſtendit, locum etiam eſſe pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum. Fidelibus enim hæc aptatur oratio, quod qui initiatus baptiſmatis ſacramento non fuerit, deum uocare patrem non posſit. Itaq; cogentur (uelint, nolint) Nouatiani, ſimul & Anabaptiſtæ nobiſcum confiteri, uel remisſioni peccatorum poſt baptiſmum locum eſſe, uel ſaltem orationem dominicam ad ſe non pertinere, quorum ſi hoc conceſſerint, iam ſe plane hæreticos declarant, qui ſe a Chriſto et eccleſia (cui hãc orandi formulam ille præſcripſit) ſeparant. Secundo, reuocat nos Chriſtus ad noſtræ infirmitatis conſiderationem. bonumq; humilitatis inſinuat, ut ſcilicet agnoſcamus, nos omnes in conſpectu dei eſſe peccatores & reos, ne ſcilicet quis ſibi quaſi innocens placeat, ſed quiſq; conſcientiæ ſuæ recordetur. Quod & Ioannes in epiſtola ſua monet, dicens: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. Et Salomon Prouer. cap. xx. Quis poteſt (inquit) dicere? Mundum eſt cor meum, & purus ſum a peccato. Et rurſum: Non eſt hõ qui non peccet. Alio quoq; in loco: Septies in die cadet iuſtus, & reſurget. Nam etſi a cõſenſu (qui nos reos æternæ mortis fecit) temperemus, quis tamen non ſentit ſe circunferre carnem peccati? qua impellente, fit, ut quiſq; cogatur multa adhuc in ſeipſo deſiderare, & ſentire ſe multa, perpetuaq; condonatione egere, ac ſibi ſemper orandum eſſe, Ne intres domine in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Hæc certe humilis confesſio, quæ ex limpido fidei fonte emanat, ſummũ eſt præſidium ad impetrandam ueniam, qua ſubnixus Publicanus, repulſo ſuperbo Phariſæo, deſcendit iuſtificatus in domum ſuam ab illo. Nam (ut ibi ueritas ſubiungit) qui ſe humiliat, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur. Ac ut Petrus & Iacobus teſtantur: Deus ſuperbis, reſiſtit, humilibus autem dat gratiam Tertio, docet Chriſtus hanc peccatorum remisſionem non aliunde q̃ a patre cœleſti peti oportere. Nemo enim poteſt peccata dimittere, niſi ſolus deus, Marc. ij. Et ut ipſe ait Eſaiæ. xliij. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates ueſtras. Nam quatenus homines peccata remittant, diximus ſuperius in pœnitentiæ ſacramento. Quarto, docet Chriſtus pronam ac facilem eſſe uiã, remisſionem peccatorum conſequendi, q; hanc iubet poſtulare a deo, tanquam patre noſtro, cuius proprium eſt, filiorum ad ſe reuertentium miſereri, ac parcere, quod & alibi Chriſtus ipſe inſigni parabola de filio ꝓdigo declarauit. Et Pſaltes in laudis confesſionem prorumpens, teſtatur, quum ait: Qui ꝓpitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu uitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Deinde, eo ipſo oſtẽdit, patrem ſuum cœleſtem fa=*

cilem eſſe ad condonandum nobis delicta noſtra, q; nos idipſum ab eo petere & orare docuerit, ac etiam iuſſerit. Hoc enim ſolo, paternam miſericordiam et ueniã preces noſtras ſequuturam ſatis promiſit. Qui enim nos ſic iusſit orare, neq; ſemel confirmauit nos exoraturos, quicquid abs deo in ipſius nomine peteremus, ille certe præbuit petendi fiduciam, q; fidelis ſit & mentiri non posſit pater, qui per filium ſuum ſic nos orare docuit ac iusſit. Si (inquit Apoſtolus) confesſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt dominus, qui nobis peccata dimittit. Fidelem certe dominum ad dimittenda peccata aſſerit apoſtolus, ſignificans deum pollicitationis & fidei ſuæ ſeruantem, quod & Dauid Pſal. l. teſtatur, cum commiſſorum ueniam deprecans ait: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, ut iuſtificeris in ſermonibus tuis & uincas cum iudicaris: quaſi dicat, Mundus ſibi uere perſuadere non poteſt, te deum grauiter contra te delinquentibus uere & ſerio ignoſcere. Sed quando tu deus pollicitus es peccatoribus ad te reuertentibus ac confitentibus delictorum indulgentiam, Idcirco plane confiteor me tibi ſoli deo deliquiſſe, certus ac ſecurus de uenia, ueritati promisſionis tuæ innixus, qua re ipſa uinces omnes ſecus de te iudicantes. Deniq; facilitatem remisſionis confirmat adiecta conditio, qua tanquàm ſigno nos certos de ſua uoluntate facit deus, noſtramq; imbecillitatem ac diffidentiam confirmat ac corrigit, hoc inquam ſigno, Remittenti remittetur. Ne enim uel irrationalis quiſpiam, aut in magno aliquo aut in exiguo delicto de iudicio dei conqueri posſit, aſſerit in noſtra eſſe poteſtate iudicium de nobis futurum, perinde atq; ſi dicat, quemadmodum tu tibi ipſe iudicabis, ita etiam tibi iudicabo. Si enim (inquit Chriſtus) dimiſeritis hominibus errata ſua, remittet & uobis pater cœleſtis errata ueſtra. Ex pacto ergo dominum conuenire poſſumus, ut peccatorum remisſionem concedat. Si tamen alijs a nobis erratorum ſuorum prius facta ſit uenia. Certe pater agnoſcet a filio præſcriptam cõditionem, modo, quod ad nos attinet, conditioni ſatisfacere non detrectemus.

CAeterum uerbo dimittendi uſus eſt Chriſtus, ut ſignificaret remisſionem peccatorum, è ſola gratia dei pendere, id quod latius in materia iuſtificationis explicauimus. Quod autem rogamus (Dimitte nobis) admonemur in hoc fraternæ charitatis, ut non minori mentis ardore ac deuotione petamus, pximis noſtris ſua delicta ignoſci, quã nobis noſtra condonari poſtulamus. Quin Chriſtianæ charitatis ardor, latius etiam progreditur. Vt ſancti uideantur maiorem habuiſſe in orando proximorũ curam, q̃ ſuæ propriæ ſalutis, quemadmodum Paulus teſtatur: Veritatem (inquit) dico in Chriſto Ieſu, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, &c. Et Moſes eodem ſpiritu percitus orauit dicens: Obſecro (inquit) domine, peccauit populus iſte peccatum maximum: aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro quem ſcripſiſti, Amen. Dicimus autem, Debita noſtra, non quemadmodum panem quotidianum, noſtrum appellamus, ueluti

nobis impartitū ac donatū a deo, a quo omne, quod bonū eſt, proficiſcitur & ſuo dono noſtrum fit. Sed noſtra ſunt peccata, ueluti quæ ex nobiſipſis, & non a deo ſunt, quē admodū apud Oſee dominus cōteſtatur: Perditio (inquit) tua ex te Iſrael tantūmō, ex me eſt auxilium tuum, nam neq; a deo eſt malum, & nemo deo authore fit deterior.

QVi hac petitione deprecari etiam peccati pœnam nos affirmant, ueluti indiuiduam peccati comitem ac ſtipendium, quemadmodum Paulus ait: Stipendiū peccati mors, hi in eccleſiæ ſupplicationem reſpexiſſe uidentur, quæ hanc petitionem, ueluti paraphraſi quadam explicare uoluiſſe uidetur, cum orat: Ineffabilem nobis domine miſericordiam tuam clementer oſtende, ut ſimul, nos & a peccatis exuas, & a pœnis, quas pro his meremur eripias, atq; eo tendit pſalmus ſeptuageſimusoctauus.

SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS.

SVnt plerique ſolo nomine Chriſtiani, quibus uidetur fieri uix poſſe, ut homo ex perfecto corde, capitali hoſti & malefactori dimittat, ſed hi incipiant fieri Chriſtiani, diſcentes & hunc affectum remittendi proximo non ex nobis eſſe, ſed a deo peti etiam oportere. Deinde intelligant nullum plane laborem eſſe, petenti fratri condonare errata, ſiquidē inuidia liberari, liuoris, iracundiæq; ſolicitudine leuari, magnam reddit menti noſtræ quietem. Odium uero aſſidue in corde gerere, inuidia tot queri, tormentum eſt, quo non facile reperias maius, ut teſtes nobis ſunt inimicitiarum appetentes & odij amantes. Ad hæc, etſi præceptū de diligendis inimicis magnum ualde eſſe uideatur, tamen ſi præmium hoc enauantibus cogitaueris. nihil omnino uidebitur. Præmium quidem, q a te dimittenti proximo, nullius a te exigetur ratio peccati, atq; etiam merces ampla in futuro tribuetur. Rurſus ſi cogitauerit q̄ nō paria domino facias, in conditione propoſita adimplenda, te profecto pudebit ullam hic difficultatem cauſſari, Deus cum nullius unquam indigeat, a te grauiter offenſus, tibi gratis ignoſcit, ab omni peccato prorſus extraneus. Tu uero qui proximo dimittis, ipſe quoq; remiſſione indiges, nimirum multorum etiam peccatorum erga deū reus, et forte maiorum q̄ proximus tuus, cui dimittere iuberis. Sed fac, te iniuſta aliqua a proximo eſſe perpeſſum, ea tamen talia proculdubio ſunt, qualia etiam tibi a deo remitti poſcis, multoq; interdum tua commiſſa maiora. Deniq; ſi deum uis habere patrem, neceſſe eſt, ut exemplo eius non tantum amicos, ſed & hoſtes & inimicos diligas & complectaris. Quemadmodum Chriſtus Matthæi.5. ait: Diligite inimicos ueſtros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus uos, ut ſitis filij patris ueſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluuit ſuper iuſtos ac iniuſtos, Si enim (ut ſubdit) diligitis eos, qui uos diligunt, quam mercedē habetis? nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaueritis fratres ueſtros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo & uos perfecti, ſicut

& pater ueſter perfectus eſt. Atq; hic ne doctrinam euangelicam uti impoſsibilem auerſemur, Chriſti & ſanctorum fratrum noſtrorum exempla nobis intuenda ac imitenda ſunt, qui pro perſequutoribus & occiſoribus ſuis, inter ipſa etiam uerbera ac mortes ardentiſsime oraſſe leguntur quin & Dauidis, uiri ueteris teſtamenti affectus intuendus eſt. Domine (inquit) deus meus ſi feci iſtud, ſi reddidi retribuentibus mihi mala decidam merito ab inimicis meis inanis. Iob quoq; (memorabile illud patientiæ exemplum) nobis rememorandus eſt. Si gauiſus, inquit, ſum in delicto inimici mei, ſi dixi in corde meo, benefactum eſt, audiat auris mea maledictionem. A quo multum abhorrent, hi qui cum aduerſarium ſuum malitioſum in ius uocauerit, nec ab eo confeſsionem elicere poſſunt, gaudent tamen, ſi ſaltem eum ad periurij reatum adigant, ut uel ſic etiam eum perdant.

SEd dices, quid. Si quiſpiam, eam adhuc imperfectionem in animo ſuo ſentiat, ut proximo noxam ſtatim remittere poſſe ſibi non uideatur, nunquid is penitus ab orando deſiſtet, aut ſaltem orationis dominicæ formulam euitabit? Reſpondemus, Multum differre, an quis affectum eum nondum habeat, cum tamen a deo ſibi dari affectet. An uero quum eum necdum habeat, ne optet etiã habere ac a deo nanciſci, ſed magis odio ac liuore intabeſcat eligens magis mori quã uindictæ libidinem ponere. Siquidem prior rite ad orationem accedit, atq; adeo magis oratione indiget, quo corruptiorem gerit affectum. Is itaq; pie & dominicam orationem totam recenſebit, ſi hanc particulam, quàm tractamus, animo per murmurans, a deo expetat ſibi hunc affectum dimittendi proximo, ac ſpiritum dulcem largiri. Quod faciens, adeo non orabit contra ſe, ut etiam quod fideliter petit, ſit impetraturus, quemadmodum Chriſtus Lucæ. xi. pollicitus eſt dicens. Pater ueſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. At poſterior, qui obfirmauit animum contra proximum ſuum, is certe fruſtra orat ſibi dimitti peccata. Chriſto exerte dicente: Si non dimiſeritis hominibus, nec pater ueſter dimittet uobis peccata ueſtra, quod & memorabili parabola declarauit de ſeruo, qui noluit miſereri conſerui ſui, qui & propterea iuſſus eſt tradi tortoribus, quoadusq; redderet uniuerſum debitum, ubi in calce, parabolæ uim explicans, ſubiunxit, ſic (inquit) & pater ueſter cœleſtis faciet uobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus ueſtris. Quod & ſæpe alibi, ueluti cuius ſummam geſſerit curam requirit, dicens: Dimitte & dimittetur uobis, Item, qua menſura menſi fueritis, remetietur uobis. Item, cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, & pater ueſter, qui in cœlis eſt, dimittat uobis peccata ueſtra. Rurſus Matthe. 5. Cum offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ad altare & uade prius reconciliare fratri tuo. Ecce quantã curã Chriſtus huius rei geſſerit, quam tam ſæpe, idq; non generatim tantũ, ſed ſpecialiter & exerte inculcat, atq; etiã maximũ præmium facienti pollicetur, interim ẽt mille tibi occaſiões mãſuetudinis ac pietatis miniſtrat, uti hoc qd in te ẽ belluinũ, depellat et irã (qua flagras) extinguat, teq; undiq; tuis mẽbris reuĩgat Quin et

Ieſus filius Sirach ueteris teſtamenti ſapiens pulchre monet: Qui uindicare (inquit) uult, a domino inueniet uindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit: relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur: homo homini reſeruat iram, & a domino quærit medelam: in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiā. & de peccatis ſuis deprecatur: ipſe cum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationē petit a deo: quis exorabit pro delictis illius? quo quid aliud ſignificat, q̄ quod talis hominis oratio (iuxta pſalmiſtæ uerbum) ei fiat in peccatum? Nam quid aliud eſt dicere, *dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ſi non dimitamus? quā ſicut nos non dimittimus debitoribus noſtris, ita nec tu deus dimittas nouis, quæ horrida profecto eſt imprecatio pijs auribus ac mentibus inuiſa.*

AT *inquies, ſi talis eſt cauſſa orantis, qui necdum ex corde remiſit proximo, multi erunt, qui dum orationem dominicam recenſuerint huiuſmodi particulā inter orandum omittent. Sed quis hos ſtultos non uidet? Primum quia non orant, ut Chriſtus uoluit & docuit, nec ſunt Chriſti diſcipuli. Secundo, quia nec pater libenter exaudit orationem, quā filius non dictauit. cognoſcit enim pater filij ſui ſenſus & uerba, non ſuſcipit quæ uſurpatio humana excogitauit; ſed quæ ſapientia Chriſti expoſuit.* Ergo *orationem quidem dicere poſſunt, circumuenire deum & fallere nō poſſunt, nec accipiunt indulgentiam, niſi ipſi indulſerint prius.* In *ſumma, ut huius particulæ finem faciamus.* Nobis *qui filij dei & Chriſti diſcipuli, cum dici, tum eſſe uolumus, orandum eſt, ut pater noſter cœleſtis nobis donet gratiam, ex corde remittendi proximo debita in nos commiſſa, ut eandem remisſionis gratiam uicisſim ab eo conſequamur.*

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

TEntare *in ſcripturis cum generatim accipitur, ſignificat periculum facere, ſeu experimentum de aliquo ſumere.* Attētare *deum, nihil aliud eſt q̄ dei uerbis ſeu promisſis nolle ſimpliciter credere aut fidere, ſed uelle facere periculum aut experiri, num uerum ſit, quod deus uerbo ſuo propoſuit, aut futurum pollicitus eſt, uel econtrario uelle aliquid experiri contra legem naturæ inditā, ubi nec deus id ut fiat, præceperit, nec extrema necesſitas huc coegerit, quod eſt deum irritare, exaſperare ac contemnere.* Quemadmodum *legimus* Gene. xvij. Quid *(inquit* Moſes *ad populum) iurgamini contra me, cur tentatis dominum?* Item, Deute. vi. Non *tentabis dominum deum tuum, quem locum Chriſtus contra diabolum tentatorem citat, Matth. iiij.* Et *in Actis, cur tentatis dominum, ut imponatis iugum ſuper ceruices diſcipulorum? quaſi diceret,* Nondum *creditis nos iuſtificari per fidem in Chriſtum Ieſum, quemadmodum ipſe docuit, ſed magis cerimonijs Iudaicis?* Dicitur *autem & deus tentare & diabolus, ſed diuerſa ratione ac fine.* Deus *tentat ut probet ſeu exploret fidem noſtram, non quaſi neſcius mentium humanarum, ſed ut nos nobiſipſis oſtendat, ac mundo reddat manifeſtos.* Sūnt *enim plurimi, qui ſibi probe in Chriſtianiſmo profeciſſe uidentur, ſibi*

tur, ſibi perſuadentes, quaſi toto corde deo fidant ac adhæreant, idq; prius q̃ ſui periculum fecerint, at cum aduerſitatis procellæ inciderint, tum demum reipſa comperiũt q̃ longe abſint a perfectione iuſtitiæ. Qui ob id tentantur, ut ſibi cogniti fiant, utq; erudiantur, inſtruantur ac probentur. Qui uero iam reuera pij ſunt, hi ut manifeſtentur glorificenturq;, a domino tentari perhibentur, ſicut ſcriptum eſt: Vaſa figuli probat fornax, homines autem iuſtos tentatio tribulationis. Sic deus Abrahã multarum gentiũ patrẽ in filio tẽtauit & honorauit, ſic ſanctos Apoſtolos, ſic inuictisſimos martyres, igni & ferro, infinitiſq; tormentorũ generibus coronauit. Diabolus uero tentat, non ut inſtruat, ſed ut ſubruat, non ut erudiat, ſed ut euertat. Nã cũ ſciat carnem fragilẽ eſſe, & ad malũ procliuem, mundi amantẽ, mentemq; noſtrã ueluti captiuã in corpore mortis huius detineri, ſuggerit carni, corporeæ uoluptatis cupidinem ac illecebras, obijcit oculis mundi ornatũ, faſtũ & gloriã. Aut ſi hoc non ſuccedit, ſolicitat mundũ, ut intentet bonorũ direptiones, exilia, & mortes. Deniq; prouocat mentẽ ad uitæ ſuperbiã, uel triſtitia & amarulentia obſcurat, faciens undiq; periculũ, num poſſit hominẽ ſubuertere. Dei ergo tentatio, probatio. Diaboli uero tentatio deceptio, ſeu praua ſuggeſtio eſt. Abſit ergo ut quis putet deũ ad hunc modum, nempe ſubuertendi gratia, quẽpiã tentare. quãobrẽ diuus Iacobus ait: Nemo cum tentatur, dicat ſe à deo tentari. Deus enim intentator malorum eſt, hoc eſt, deus non eſt mali ſuggeſtor, qui eſt author omnis boni. Quod autẽ hic oramus, ne deus nos in tentationem inducat, ſimili phraſi dictum eſt, qua dominus dicitur induraſſe cor Pharaonis, aut conuertiſſe cor Aegyptiorum, ut odirent populum eius, ſeu concluſiſſe omnia ſub peccato, id eſt, permiſiſſe ut hæc fierent. Nam frequens hæc phraſis eſt in ſcripturis, qua deus dicitur ea agere ſiue facere, quæ fieri permittit, ut ſit ſenſus: Et ne nos inducas in tentationẽ, ideſt, ne permittat nos induci. Tentatio enim hic pro mali ſuggeſtiõe accipitur. Nec hoc omittendũ eſt, tentationẽ aliã humanã dici, ueluti quæ a carne ſeu à mundo proficiſcitur, qualis eſt tentatio ad fornicationẽ furtũ, & id genus ſimilia uitia, de qua dictũ eſt: Tentatio uos non apprehendat niſi humana. Alia uero eſt diabolica, qua ſatan triſtitia, æternæ dãnationis timore, blaſphemia, & deſperatione mentẽ hominis occupat, qua interdũ etiã oculis corporalibus uiſibiliũ rerũ ſpectra offert, & aperto marte hominẽ aggreditur, quæ tentatio maxima quidẽ eſt & periculoſisſima, ſed tamen eodem ſcuto (quo humana illa) propellitur, quemadmodum infra dicemus.

INduci autẽ in tentationẽ, ſignificat nõ tantũ tentari, ſed tentatione penitus immergi, aſſentiri, ac a tentatione ſuperari, quẽadmodũ Pharaoni impijsſimo tyranno contigit, ac pasſim omnibus contingit, qui a concupiſcentia ſua illecti et abſtracti, peccati uinculis collũ ſubmittũt, tẽtationiq; ſuccũbunt. Quod ne fiat deprecãdũ eſt nõ aũt hoc orandũ eſt, ne omnino tentemur, Tũ, qđ uita noſtra ſic cõparata ſit, ut asſidue cũ hoſtibus animæ pugnã gerere debeamus. Quemadmodũ Iob cap. vij. legimus: Militia eſt uita hominis ſuper terrã. Tum, quod ſaluti noſtræ, ut tentemur, ſæpe nõ parũ cõducat Nẽpe, ut infirmitatis noſtræ nobis conſcij facti, neq; ſuperbiamus, neq; ueluti ſecuri

in utrāq; aurē obdormiamus, ſed magis in humilitatis ac uirtutū pſectu conſeruemur, ac in timore dei noſtrā ſalutē uigiles opemur. Quod in btō apoſtolo Paulo relucet, qui ij. Cor. xij. de ſeipſo loquens: Ne (inquit) magnitudo reuelationū me extollat, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Propter qđ ter dominū rogaui ut diſcederet a me, & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea, Nā uirtus in infirmitate pficitur: Atq; in hāc ſentētiā alibi legis: Btūs hō, qui ſemp eſt pauidus. Tū deniq; utilis eſt tētatio, qđ præparet ad uictoriā & coronā. Si. n. nullus eēt hoſtis, nulla eſſet pugna: ſi nulla pugna, nulla eēt uictoria: ſi nulla uictoria, nulla eēt corona. Quēadmodū Paulus ait: Nemo coronabitur, niſi qui legitime certauerit. Nimirū, qđ ſoli uincēti promiſſa ſit a deo corona uitæ. Apo. ij. Et ut Iaco. teſtatur: Btūs uir, qui ſuffert tētationē, quoniā cū probatus fuerit, accipiet coronā uitæ, quam repromiſit deus diligentibus ſe.

QVæ cum ita ſint nemo ob id deiecto aut puſillo animo eſſe debet, quod tentatione agitetur, nec putare ſe propterea deo exoſum, multo minus a deo derelictum eſſe, quinpotius hinc ſtatuere ac iudicare debet, ſe deo curæ eſſe. quem enim diligit filiū, pater caſtigat. Et manifeſtum ſane eſt argumentum, nondū eſſe in hoſtis ptāte, quē is adhuc acriter impugnat. At qui nullis tentationibus impetitur, magis habet cur formidet, quod quē hoſtis iā captiuū occupat ac uinctū tenet, minus infeſtet. quāobrē diuus Iacobus nos dulciter cōſolans, ait: Oē gaudium exiſtimate fratres mei, cū in tentationes uarias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei ueſtræ patientiā operatur. Patientia aūt opus pfectū habeat, ut ſitis pfecti & integri in nullo deficientes. Et quis tandē Chriſtianus eſt, qui tētari omnino recuſet, aut pugnā, cū ingeritur, detrectet, cū Chriſtus ipſe deus & hō caput noſtrū ſe a diabolo tentari paſſus ſit? Idq; eiſdē omnino tentationū generibus, quibus nos aggredi ille ſolet tentator nempe ſuggeſtione ac incitatiōe cōcupiſcētiæ carnis, cōcupiſcētiæ oculorū & ſupbiæ uitæ. Quin caput noſtrū nobis imitādū eſt, ne ſcilicet in tētatiōis certamē audacius inſiliamus, aut idipſū nobis accerſamus: ſed demū quū ducimur cū Ieſu in dſertū, ut tētemur, ut tū eius exēplo certamina nō recuſemus, ac tētati, diabolo fortiter reſiſtamus.

IAm ad particulæ expoſitionē ueniamus. Nō ſemel ātea docuimus, quāta ſit naturæ noſtræ imbecillitas, rurſus q̄ potētes hoſtes habeamus, q nobis nunq̄ nō immineāt, nēpe caro, mūdus & diabolus. Primus hoſtis domeſticus eſt, intra tecta parieteſq; domus noſtræ cōcluſus, qui nec totus, q̄diu in hoc mortis tabernaculo ſumus, excludi pōt tanto piculoſior, q̄to intimior, nimirū caro. Alter familiaris admodū ē, ac uicinus nos undiq; circunſtans, interim ut fallat, blāliēs, interim ut euertat minitans ac ferociēs, Mūdus ſcilicet. Poſtremo, omnis malitiæ author diabolus, nunq̄ nō circuit tanq̄ leo rugiēs, querēs quē deuoret, tāto formidabilior, quāto occultior, uerſutia ac malitia inſignis, tātæ in ſegnes & oſcitātes potētiæ, ut nō ſit ſup terrā ptās, que ei cōparetur: De qua ptāte operæpretiū, duxit apoſtolus nos admonere, cū ait: Nō eſt nobis colluctatio aduerſus carnē & ſanguinē, ſed aduerſus mundi rectores tenebrarū harū contra ſpiritalia nequitie in cœleſtibus. Ergo ne tāti ac tā prope ſemp imminētes ac fortiter in-

ſtantes hoſtes, nos plane imbecilles euertant, iubet Chriſtus, ut cœleſtē patrē oremus;
ne nos ꝑmittat induci in tentationē. Quo in primis nos humilitatis rurſus admonuit,
& ut in domitæ mentis tumorē reprimeret, noſtrā nobis infirmitatē, oſtēdit, q̃ ſcilicet
omnino ſufficiētes nō ſimus noſtris uiribus, tot & tam infeſtis hoſtibus reſiſtere, ſed
cœleſtis patris egeamus auxilio, qui nos etiā ſua uirtute in tam difficili pugna faciet
tandē uictores. Quod & Dauid nō tacuit, Pſal. xvij. Quoniā in te (inquit) eripiar a tē
tatione. Et iterū pſal. lix. In deo faciemus uirtutē, & ipſe ad nihilū deducet oēs tribu-
lātes nos. Quis quæſo de ſe ſecurus eē poterit, quis ſuæ uirtuti fidere, qui intelligat, q̃
tota hæc uita undiq; diaboli laqueis plena ſit? q̄ nō ceſſet, tētator ille, qui nec ueritus
eſt, & filiū dei Ieſum technis ſuis aggredi? Dein q ſecū reputet, quot ſatanæ machinis
impetitus ſit, ſeruus dei Iob? q recordetur Saulū prius electū, poſt eiectū a cōſpectu dī
q meminerit Dauid, appellatū in ſcripturis uirū ſcd̄m cor dei, eo turpitudinis ꝑtractū,
ut adulteriū homicidio copularet, qui uideat Salomonē, cui deus in principio regni ſapi
entiā dederat ultra omnes homines, eo dementiæ ꝑductū, ut peregrinis ſimulachris im
molaret? cui ueniat in mentē, quid acciderit apoſtolorū ꝑncipi Petro, qui fortē uſq;
ad mortis diſcrimen animū profeſſus, ter dominū ſuū abiurauit. Hæc atq; hmōi multa
qui cōſiderat, is certe nō pōt nō inhorreſcere, ac formidare tētatiōis periculū, & hu-
miliare ſe ſub potēti manu dei, qđ hic, ut faciamus iubet Chriſtus. Secūdo, eo ipſo quod
Chriſtus iubet, ut patrē cœleſtē oremus, ne tentatione ſuperemur, nobis certā fiduciam
facit omnis tentationis dei auxilio filialiter uincendæ. quin eo ipſo teſtatur, deū ſemꝑ
paratum eē ut nos a tētatiōe (ubi opē eius implorauerimus) eripiat. Quod & Apoſto-
lus Paulus. i. ad Cor. x. nō tacuit, cum ait: Fidelis eſt deus, qui nō patietur nos tentari
ſupra hic qđ poſſumus, ſed faciet ēt cum tētatiōe, puētum. Tertio, oſtēdit hoc ipſo Chri-
ſtus nullum eē remedium ſalutarius ac efficacius ad ſuperādas tentatiōes, uiuida ac ui
gilanti oratiōe, quēadmodum & alibi monēs, ait: Vigilate & orate, ne intretis in ten
tationē. Fide. n. diabolus uincitur. Fidei uero primus fructus, fidelis ac uigilans oratio
eſt. quāobrē Apoſtolus Petrus nos cōmonet, ut ſobrij ſimus & uigilemus, utq; aduer
ſario noſtro diabolo reſiſtamus fortes in fide. Et q̄ ualeat oratio ad ſupandos hoſtes, ſa
tis oſtendit Amelech tātiſꝑ ſuperatus, quādiu oraret Moyſes manibus in cœlum leuatis.
Certe, ſi hoc remediū adhibueris. nō eſt cur diabolū quātumuis potentem, formides, qđ
iā te in lōge potentiores præſidium acceperis. Accepit quidem diabolus tentādi licen-
tiā, ſed nō accepit copiā ſubruendi, niſi ſua ſpōte labatur infirmus affectus, qui ſibi cōſi
liū nō nouit accerſere. Adeo diaboli inuidentia & omnes eius machinæ nihil ſunt, niſi
euanida ac phātaſtica apparitio, ſibilus & ſuſurrus, quē hoc ſolo uiceris, qđ reſtiteris.
Debilis (inq̄t q dā) eſt hoſtis, nō pōt uincere, niſi uolentē: uinci aūt uult q negligit reſi-
ſtere, quoniā ſupſedet ſe humiliare & orare. Ergo cū tētator uana & praua ſuggerit
timeamus, recolētes noſtrā infirmitatē, oremus deū, ut ſenſus noſtros cuſtodiat, ne ſug
geſtio pariat delectationē, delectatio cōſēſum, cōſenſus pctūm, pctūm āt mortē. Q đ ſi
ita ad deū humiles cōfugimus, iā hoſtis ſupatus eſt. Q đ ſi ēt hoſtis ea ſuggerat, quæ

nec anima uellet proferre, nec hominis lingua nominare, ueluti plane execrabilia & nefaria, ne ſic quidem conturbabere, quod non raro tentator, præſertim in oratione (qua maxime deo appropinquamus) plerunq; nobis ea, quæ ſunt plena opprobrij alicuius, aut ſceleris offundat, uel ſic nos a ſtudio precatiõis auertere cupiẽs. In hoc ergo congreſſu non referas pedem, tametſi tentatio fuerit diuturnior, ſed in oratione perſeuerato, & ſedulo uerbis domini tui Chriſti Ieſu, diabolũ tentatorem retunde, quod & Athanaſius faciendum monet: Dic (inquit) *blaſphemia ſit in caput tuum diabole.* Ego *enim dominum deum meum adorabo, & illi ſoli ſeruiam.* Dic cũ Dauid: Exurgat deus *& diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum a facie eius, nam & Athanaſius teſtatur, Plures ſanctos expertos eſſe hunc pſalmum, ſummo terrori diabolis eſſe. hoc ergo faciens in tentatione non timebis, quod tum non ruinæ, ſed magis meriti occaſio tibi futura ſit.*

I*N ſumma itaq; hac petitione poſtulamus a patre cœleſti eam gratiã nobis donari, qua ſuffulti carnalem libidinem, & quæcunq; ſunt, a quibus accendi ſolet caro, domemus, ac totis uiribus curemus, ut omnia incitamenta uoluptatis, cruci Chriſti affigere & mortificare poſſimus. Adhæc ne nos ulla mundi creatura, ſua fucata uenuſtate ac dulcedine ſolicitet ad peccandũ, ſed magis prouocet ad dei laudem & gloriam. Rurſus, ne nos mundi malitia, perſecutiones, ac tribulationes ad impatientiam, uindictam, iram, aliaq; uitia incitent, ſed ut conſtantes in mortem uſq;, fidem in deum firmã teneamus. Itidem ſi flagellis caſtigemur, ac delicta noſtra plagis iuſtiſſime immiſſis puniantur, tum ad hanc petitionis formulam recte poſtulauerimus, ut deus huius tentationis felicem exitum faciat, quo ſcilicet patienter ferentes quod immittitur hic leuem uindictam experti, poſt hac non cum hoc mundo damnemur. Deniq; petimus, ne nos ſatanæ tentatio obruat qua nos quo uel in ſuperbiam, uel in odium & inuidiã, uel in alia ſpiritualia crimina, atq; adeo tandem in deſperationem protrudat, ſubinde impetit. Rogamus autem non ſinguli pro nobis, ſed pluraliter, hoc ſenſu, ut cœleſtis pater omnium illorum agat curam, qui cum grauibus & magnis tentationibus conflictantur, ut nos omnes defendat, confirmet, & erigat in hac calamitoſa uita ut ſicut decet Chriſtianos milites, uera fide dimicemus, quo æterne uitæ coronam poſt legitime geſta ac finita certamina in domino ſimul conſequamur.*

SED LIBERA NOS A MALO.

H*Aec eſt dominicæ orationis clauſula, uniuerſas petitiones ac preces noſtras, collecta breuitate, concludens. Nam cum dicimus, Sed libera nos a malo, cõprehendimus aduerſa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur hoſtis diabolus, quo petito, nihil remanet quod ultra adhuc debeat poſtulari. Impetrata enim protectione dei, aduerſus quæcunq; mala ſecuri ſtamus & tuti, contra omnia, quæ diabolus & mundus in perniciem noſtram operantur, machinanturq;. Quis enim ei de ſeculo metus eſt, cui in ſeculo deus tutor eſt? & quis a diabolo metuat ſi deus liberet, cuius fida & firma tutela eſt. Recte etiam ueteres noſtra quidẽ ſententia hic per malũ diabolũ*

intellexere, quod ille omnis mali (quatenus nobis damno & exitio eſt) unicus author ſit. Deinde, quod cum nihil ſit læſus a nobis, inconciliabili tamen aduerſus nos certamine, ac odio pluſquã capitali prælietur. Sic ut ſi ipſi in fide noſtra infirmanda aut in obruendo nos, peccati ſarcina non ſuccedat, gaudeat tamẽ, uel externis malis nos uexare & excruciare, ut uel hinc periculum faciat euerſionis, quemadmodum contra Iob & alios ſanctos feciſſe legitur: Quamobrem Chriſtus hanc clauſulam cæteris ſubiecit, dicens: Libera nos a malo. Vbi inprimis dicere nos maluit a malo ꝗ̃ a malis. Nos uidelicet erudiens, quod aduerſus proximos, ob mala ea, quæ ab illis patimur, amarius commoueri nunquam debeamus, ſed magis ab eis in ſatanã omnis mali cauſam & inimicitias (ueluti in cunctorum malorum caput) transferre. Sic ut ſi te lædat proximus, hoc affectu orare debeas cœleſtem patrem, ut liberet non ſolum te, ſed & proximum tuum tibi incommodantem, a malo, hoc eſt, a diaboli laqueis, quibus ille captiuus detentus tibi incõmodat, alioqui non incommodaturus, quod natura a deo bonus creatus ſit. Non negamus interim hic mali etiam appellatione uenire, quicquid eſt periculorũ ac aduerſitatis, quod corpori & animæ fortunis & famæ uel iam imminet, uel futurum eſt, ac inſtat. ſi tamen intelligas (ut diximus) quo cauſa mali referenda ſit, nempe ad diabolum, quod tamen ut caute accipias, neceſſe eſt. Nam aliud eſt malum culpæ, aliud pœnæ. Mali (quod culpæ eſt) ſolus diabolus eſt author, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum. Malum pœnæ hoc ipſum eſt, quod homini accidit in peccati uindictam, id quod ſcriptura deo tribuere non ueretur, ueluti quod & bonum & iuſtum eſt De quo propheta Amos cap. iij. dixit: Non eſt malum in ciuitate, de quo dominus non fecerit. Et rurſus dominus per Eſaiam. cap. xlv. Ego dominus & non eſt alter, formans lucem & creant tenebras, faciens pacem & creans malum: quãuis interim hoc malũ pœnæ, eatenus diabolo tribuatur, quatenus ipſe deo iuſtiſſime permittente, eo in incredulorum & obduratorum perpetuam perniciem abutitur.

HOc autem differt hæc particula a priori, quod ibi poſtulauerimus ut pater cœleſtis, nos a malo) quod culpæ uocant) immaculatis ſeruet, hic uero ut a malo pœnæ præſentis & futuræ liberet: ibi rogauimus, ne tentationibus ſuccumbere ſinat, hic petimus, ne nos tribulationibus, afflictionibus & calamitatibus præſentibus, aut futuris deprimi, aut euerti permittat, hoc eſt, petimus, ut a ui aquarum & ignis, à fulgure & grandine, a fame & annonæ charitate, ſeditionibus, bellis, factionibus, tumultibus, ſchiſmatis, malis mortibus, peſtilentijs, ægritudinibus, uinculis, carceribus, exilio, mundi terriculamentis, & blandimentis, & reliquis id genus malis, quibus miſeri in hoc mundo premimur & irretimur. Deinde etiam a malis futuris, ueluti a ſubitanea & improuiſa morte & perpetua ira dei, & pœnis, quæ impios poſt hanc mortem expectare certum eſt, nos liberet. Sic eccleſia hanc clauſulam, & in miſſæ ſacro, & in litanijs (ubi & præterita & præſentia & futura mala deprecatur) explicat & exponit. Magna eſt autem conſolatio fidelibus, quod Chriſtus iubet ut patrem petamus, quo nos ab his malis liberet. nam eo ipſo nobis, fiduciam tribuit impetrandi

quod poſtulauerimus. Neque enim quid petere luberet, niſi nos certos eſſe uellet patrem petentibus, id etiam daturum quod alibi pollicitus ſit, dicens: Petite, & dabitur uobis, & quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Et rurſus: Amen dico uobis: Omnia quæcunq; orantes, petitis, credite, & accipietis, & euenient uobis. Item, Omnia quæcunq; in deprecatione ueſtra credentes petieritis, accipietis. Quæ uerba toties iterat Chriſtus, idq; non aliter q̃ ſi iureiurando ſe nobis obſtringat, quo uel ſic nos precantes certa in fide conſtituat. Et hanc ſententiam Iacobus teſtatur: Multum ualere deprecationem iuſti aſſiduam, quod & inſigni exemplo confirmat. Helias (inquit) homo erat ſimilis nobis pasſibilis, & oratione orauit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum. Quod tamen Iacobi dictum de oratione iuſti, ſic intelligi non debet, ut qui adhuc peccatorum pondere premimur (modo tamen impiam ſegnitatem & mentis tumorem depoſuerimus & in conſpectu dei humiliati ſimus) præſentia mala & aduerſitates deprecari non debeamus. Nam ut Pſaltes de Iſraelitis præuaricantibus ait: Ipſi (inquit) exacerbauerunt eum in conſilijs ſuis, & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis. Et uidit cum tribularentur, & exaudiuit orationem eorum, & memor fuit teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ, & dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui cœperant eos. Nec mirum nam quomodo miſeretur pater filiorum, miſeretur dominus eorum, qui timẽt eum. Ipſe eſt enim pater miſericordiarum & deus totius conſolationis. Deus noſter, refugium, & uirtus, adiutor in tribulationibus, cuius oculi ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, ut eruat a morte animas eorũ, & alat eos in fame. Exemplum habes inſigne in Niniuitis.

Deniq; Chriſtus iubens ut precemur a malo liberari, inſinuat nobis aduerſa mundi huius, quæcunq; tandem ea ſint, nos patienter ferre, oportere, nec ob id debere aduerſus deum indignari, aut obmurmurare, ſed magis (ut Paulus docet) eſſe in tribulatione patientes, & a ſolo deo, humili & æquo animo remedium petere. Sic tamen ne deo certam legem præſcribamus, ſed ut ſemper committamus eius uoluntati, quid de nobis fieri uelit. Porro, ſi Apoſtolo credimus, Omnes qui pie uolunt uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Quod per multas tribulationes nos oporteat intrare in regnum dei. Quamobrem patientia nobis ſummopere neceſſaria eſt, quam ſubminiſtrat uiuida fides, qua intelligimus, quod ſicuti oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, ita & nos multo magis compati oporteat, ut ſimul etiam cum illo glorificemur. Atq; hoc eſt, quod diſcipulis ſuis inculcans, ait Chriſtus: In patientia ueſtra posſidebitis animas ueſtras. Hæc eſt enim quæ ſerenat ac pacat animos, quæ nullis aduerſitatibus cedit quæ (ut Apoſtolus Iacobus ait) bonũ perfectũ habet.

Tametſi autem, quod hac petitione poſtulamus, quam diu iſtam mortalitatem circumferimus, non ſit ſperandum perfecte in nobis adimpletum iri, tamen cũ aliquando futurum ſit, recte ut fiat, poſtulamus, nimirum ut mortalitatis huius onere

depoſitio, ac morte etiam ipſa per bonam fiduciam futuræ capeſcendæ ac obtinendæ uitæ ſuperata ex omni noſtri parte, opportuno tempore, beatitudo perficiatur. Quam in hac uita quidem inchoamus, ſed demum poſt hanc uitam a deo Optimo Maximo (ſi tamen fideles permanſerimus) perfectam acccip emus.

AMEN.

HAec dictio, ut ſupra diximus, uox eſt ſermonem confirmantis, & ratum fore precantis, perinde atq; dicatur. Ita certo fiat, hoc eſt, o pater cœleſtis, ſi hac uota filiorum tuorum pia ſunt, ſi iuxta formam a filio tuo Ieſu præſcriptam, concepta, certa nos habet fiducia tuam bonitatem præſtituram quod petimus.

Cuius eſt regnum & poteſtas & gloria in ſecula, Amen.

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM PRAEFATIO.

QVI doctrinæ chriſtianæ rudimenta, omnibus hominibus, ad perpetuam ſalutem neceſſaria compendio tradunt, (ſunt enim in hoc argumento complures cum doctrina, tum pietate illuſtres uiri, ſumma cum laude ac fructu uerſati) haud diſpari quidem ſententia, nõ uno tamen ordine omnes incedunt. Nos eum potisſimum ſequendum putamus, quo Eccleſia catholica per lauacrum regenerationis nos efficit Chriſtianos. Ibi enim ſymbolum Apoſtolicum (quæ eſt fidei regula) primum locum tenet, q haec quum in fidelium mentibus digito dei exarata fuerit, omnem cæcitatem cordis expellat, omnes Satanæ laqueos (quibus implicati infeliciter naſcimur) diſrumpat, ianuamq; diuinæ pietatis aperiat, quã introgresſi, ſoluto reatu corruptionis antiquæ (qui ex primi parentis Adæ delicto, in omnes poſteros deriuauit) ad ſuauem odorem præceptorum dei feramur, ipſiq; in ſua eccleſia læti deſeruiamus, ac proficiamus de die in diem, donec occurramus omnes in uirum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti. Hunc ordinem oſtendit beatisſimus ille eccleſiæ doctor Paulus: Accedentem (inquit) ad deum oportet credere. Et Roma. 5. Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiã iſtã. Ac rurſus ad Hebræos: Sine fide imposſibile eſt placere deo. Sed et ꝓpheta dicit: Niſi credideritis nõ intelligetis. Vt ergo intelligentiæ aditus pateſcat omnium primũ ſymboli ꝓfesſio ꝓponitur, in qua fidei catholicæ fundamentũ, ſuper quod

ædificium eccleſiæ ſurrexit, conſtructum manibus Apoſtolorum ac prophetarum continetur, idq; mirabili breuitate, perſpicuitateq; ſermonis, ut de hac ſumma diuini dogmatis Propheta non immerito dixiſſe uideatur, uerbum conſummans & abbreuians in æquitate. Quia uerbum breuiatum faciet dominus ſuper terram.

NE uero quis in primo ueſtibulo ſtatim offendat, nemo putabit hanc fidei regulã ac doctrinam, humana tantum induſtria perdiſci comparariq; poſſe. dei enim donum eſt fides. Cæterum, uerbi miniſter, huius fidei prædicator, ſecundum gratiam, quæ ipſi data eſt, non niſi plantator eſt & rigator. Neq; tamen (ut Apoſtolus ait) qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat deus, qui unicuique partitur menſuram fidei, prout uult. Illi ergo tota laus debetur, qui intus & docentis organum temperat, & diſcentis mentem transformat.

Qua de re, quum nobis tantus magiſter (quem cœli cœlorum adorant ac tremunt dominationes & poteſtates) audiendus ſit, oportet hoc accedentem deponere omnem arrogantiam ac ſupercilium, omnem carnis ſenſum & humanæ rationis argutias, ut ſimpliciter certoq; credat, quicquid nobis ꝗ ſalutem diuina tradidit authoritas. Quod tamen non prius faciet, ꝗ deus id per ſuam gratuitam miſericordiam ipſi largiatur. Nam ea ſola facit, ut fideles ſimus, ac deo per omnia credamus.

FIdes ergo, de qua hic agimus, eſt donum menti hominis diuinitus infuſum, quo citra ullam hæſitantiam credit eſſe uerisſima. quæcunq; diuina eloquia docuerunt, quam Paulus Apoſtolus deſcribens, conſiſtere aſſerit in earum rerum, quæ non uidentur, cognitione, aſſenſioneq; longe omniũ certisſima, quod in deum, cui creditur, nulla ſuſpitio uanitatis cadere posſit. Hæc ſola aditum præbet ac facit, ut qui per incredulitatem & ſuperbiam ueteris Adæ, a deo excidimus, deo rurſus appropinquemus, ac etiam per charitatem inferamur. Infecta eſt in Adam protoplaſto radix, unde conſequẽs erat, ut ſtirps quoq; tota uitiaretur. Erant ſiquidem homini, in primis præcipuæ illæ animæ uires, intellectus & uoluntas, in hoc diuinitus inditæ, ut deum ueluti optimum ſimul & maximum rerum omnium conditorem ac conſeruatorẽ perpetuo agnoſceret, agnitum uero, quoad fieri poſſet, complecteretur. At poſteaꝗ protoplaſtus legẽ dei neglexit, & Satanæ legibus obtemperare maluit, protinus intellectum, hoc eſt, mentem & rationem, qua expeteret quod cõmonſtraret ratio, carnalis concupiſcẽtia grauiter uitiauit. Atq; ita factum eſt, ut recederet homo (qui ad imaginem dei creatus fuerat, a deo conditore ſuo) comparatuſq; iumentis inſipientibus, ſimilis illis factus ſit. Vtraq; ergo parte uitiata, duplici remedio opus erat, fide, quæ purificaret cor hoc eſt, mentem & rationem ceu fontem animi et charitate, que ſubmoueret prauas cupiditates, ut ad ea tantum ferantur quæ præſcripſit deus. Sed utrunq; remedium non aliunde, ꝗ a deo petendum uel expectandum erit. ambo enim ipſisſima dei dona ſunt, Quod nemo per fidem ueniat ad patrem, niſi per filium. Et uicisſim, nemo ueniat ad filium, niſi pater traxerit eum. Rurſus, Charitas dei per filium promerita, non aliter diffunditur in cordibus fidelium, quã per ſpiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis.

IAM VT AD SYMBOLI APOSTOLICI, IN QVO HAEC *fides proponitur, expoſitionem pergamus, Principio ſciendum eſt, quicquid inibi cõtinetur, tribus uerbis ſummatim comprehendendi, Nempe fide in deum, qui unitate eſſentiæ ſimplicisſime unus eſt, & trinus in perſonis quarum tamen eadem eſt deitas, eadem eſſentia et coæternitas, eadem omnipotentia, eadem maieſtas, eadem ſapientia, eadem bonitas. Prima appropriatur patri, ſecunda filio, tertia ſpiritui ſancto, Quarũ proprietates diſertæ obſeruandæ & retinendæ ſunt. Pater innaſcibilis eſt, filius ab æterno genitus, appellatus uerbum & imago dei patris, qui deſtinato tempore aſſumpſit humanam naturam ex uirgine Maria, Spiritus ſanctus ab utroq; procedens, utriuſque quidam nexus ineffabilis. Pater per filium condidit uniuerſa, Flius reſtituit ꝑlapſa, Spiritus ſanctus utrique cum utriſq; operatur. Pater, cui ſumma eſt authoritas, per filium redemit eccleſiam, per ſpiritum ſanctum gubernat, uegetat ac uiuificat. Tribus ergo partibus hoc ſymbolum, ut ſunt tres ſanctisſimæ trinitatis perſonæ, ad quas refertur, conſtat. Prima pars patri, ſecunda filio, tertia ſpiritui ſancto deputatur. In ſingulas perſonas nos credere profitemur, ut diuinitatis unitatem ac parem potentiã teſtemur. Nam pares ſint, neceſſe eſt, in quos par fiducia collocatur.*

CREDO IN DEVM PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM COELI ET TERRAE.

DEum, ſicuti eſt, nemo uidit unquã, ut ne ſeraphicæ quidem mentes diuinam naturam, ſicuti eſt, comprehendant, Multo minus nos in hac uita mortali, quibus tantum per fidem deum uidere licet, ſed tanquã in ſpeculo & ænigmate. Optimo ergo iure ſymboli prima uox eſt, credo, ſed hoc initio cõmonendum eſt, duplicem eſſe credendi rationem. Prior, quum credimus deum eſſe, et uera eſſe quæ de deo dicuntur, quamadmodum & dæmones credunt & contremiſcunt. (ſciunt enim illum mentiri non poſſe) & pleriq; philoſophi credidtrunt, ſed tamen euanuerunt in cogitationibus ſuis. Altera ratio credendi eſt, in deo ſiue in deum credere quemadmodum pij credunt, qui pro compertisſimis habent omnia, quæ ſacris biblijs a catholicæ eccleſiæ diffinitione in ſpiritu ſancto prodita ſunt, & ſine omni dubitatione ſperant, quæ deus ibi promittit. Rurſus timent quæ minatur, breuiter & conſtanter deo credunt, eiq; ſe totos committunt, quantum poſſunt. Qui ſibi nihil quaſi proprium & in ſua poteſtate poſitnm, uendicant, ſeſe illius clementisſimi domini ſeruos profitentur, ſuaq; omnia tradunt diuinæ uoluntati, propria abnegantes in omnibus. Quod facimus quum credendo amamus, credendo diligimus, & credendo in eum imus. Hæc eſt fides quam in nobis exigit deus. Nec tamen inuenit quid exigat, niſi donauerit quod inueniat. Hæc nos deo copulat, hæc in huius uitæ tenebris prælucet, oſtendens quid uere fugiendum, quid expetendum, hæc nos armat, impauidos, inuictoſq; reddit, aduerſus

omnes mundi, ſatanæq; machinas, hæc eſt quæ conſolator nos in omnibus afflictionibus ſpe bonorum cœleſtium, ſemper habens in ore: Si deus pro nobis, quis contra nos? Et: Non ſunt condignæ paſſiones huius ſeculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, de qua ſcriptum eſt: Induite uos armaturam dei, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et iterum: Circuit uos tanquam leo rugiens, quærens quē deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Et rurſus: Et hæc eſt uictoria quæ uincit mundum, fides ueſtra. Si deſit hæc fides, nulla bona opera conferunt ad ſalutem. Nam diuus Paulus peccatum pronuntiat, quicquid non eſt ex fide, intelligens: quia non eſt ſine fide quicquam meritorium. Sin adſit, omnia cooperantur in bonum. Neq; enim deus fide formata ſibi ſic credentem ſubleuare deſinet. nihilq; ei euenire permittet, niſi quod ei profit, & ſi neſciat, ut ſiue uiuamus ſiue moriamur, domini ſimus.

CRedimus, inquam, in deum. Quum deum dicimus, ſentimus illam æternā mentē, qua nihil eſſe poteſt, nec maius, nec ſapiētius, nec melius, quæ incommutabiliter eſt ſine tempore, quæ eſt ipſum eſſe, & a qua uenit rebus conditis, ut ſint aliquo modo. Sic Exodi. iij. legimus: Ego ſum qui ſum. Et qui eſt, miſit me ad uos. Et Chriſtus ait: Deus ſpiritus eſt idest, ſubſtantia ſpiritualis ſine initio, ſine fine, ſimplex, ſine ulla admixtione, inuiſibilis, incorporea, immenſa, ineffabilis, inæſtimabilis. In qua nihil adiunctum, nihil creatum ſit. Nam infinita potentia infinita ſapientia, infinita bonitas, infinita iuſtitia, infinita miſericordia, quæ deo tribuuntur, non ſunt accidentia in deo, ſed deus eſt re ipſa hæc omnia.

PATREM. Patrem addidit, ut diſtinguat hanc perſonam a filio. Mox enim ſubijcit: Et in Ieſum filium eius unicum. Quanquam in ſcripturis deus trifariam appellatur pater. Primo, ut ſit notionaliter nomen perſonæ deitatis, cui ſoli hoc competit, ꝙ filium genuit eiuſdem deitatis conſortem, & unum cum patre exiſtentem, quemadmodum hic accipitur. Et apud Ioannem: Qui me uidet, uidet & patrem. Et: Ego & pater unum ſumus. Deinde dei nomine ſic accepto, ut totam declaret trinitatem, Deus recte dicitur pater, ꝙ creator ſit omnium, rerum conditarum, quemadmodum legimus: Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te & creauit te? Deniq; peculiari ratione deus dicitur pater timentium ipſum, quos in filios adoptare dignatur, ſicut ſcriptū eſt. Et dedit illis poteſtatem filios dei fieri his, qui credunt in nomine eius.

OMNIPOTENTEM, Quum audis omnipotētē, intelligis deum eſſe, ad cuius potentiam & maieſtatem nihil eſt hominum aut angelorum ſublimitas, ſeu quæcunq; poteſtas. Poteſt quidem ſecundum datam poteſtatem, quilibet angelus uel homo dici potens, ſed abſit, ut dicatur omnipotens. Solus deus omnipotens, qui omnia ex nihilo creauit. Et omnia quecunq; uoluit, fecit in cœlo & in terra, facitq; hoc omnipotentis cognomen ad confirmandam fidem imbecillium, & ad excludendas omnes ratiocinationes humanas in operibus diuinis. Quibus omnibus hoc uno uerbo reſpondetur: Quia non eſt impoſſibile apud deum omne uerbum. Quum enim infinita ſit & incom-

prehenſibilis dei potentia, ſtultum eſt diſquirere, quomodo hoc uel illud fecerit. Ex quo hunc fructum homo fidelis capit, quemadmodum credit deum omnipotentem, hunc mūdum, quum nundum eſſet, condidiſſe, atque alia omnia, quæ deum feciſſe ſacra ſcriptura commemorat, ita credit ſimul futurum quicquid ille futurum promiſit uel prædixit, quando nutu quicquid uult, poteſt quantumuis homini uideatur impoſſibile. Ita fit, ut incipiat homo ſuis & quibuslibet humanis uiribus diffidere, & totus ab illo pendere, qui poteſt omnia, cui nemo reſiſtit aut dicit, Cur ſic facis? Quum autem ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus, negare ſeipſum non poteſt, quod hæc omnipotentiæ repugnent. In hoc autem articulo quum dicimus, Credo in deum patrem omnipotentem, filiū aut ſpiritum ſanctum omnipotentem non negamus, ſed aſtruimus, quod patris & filij & ſpiritus ſancti, ſicut eſt eadem eſſentia & omnipotentia ita etiam eadem eſt ſempiternitas.

CREATOREM COELI ET TERRE, Qui condidit cœlum et terram, & quecunq; cœlo terraq; continentur, uiſibilia & inuiſibilia, idq; ex nihilo per coæternum uerbum ſuum, id eſt, filium, ſicut pſal. xxxij. legimus: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et deinde: Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Quod tamen uerbum non ſicut uerba noſtra debemus accipere ſeu intelligere. Nam hæc uere atque ore prolata uerberato aere tranſeunt nec diutius manent, q̄ ſonant, Quum illud æternum uerbum incōmutabile maneat. nam de ipſo dictum eſt, quum de ſapientia diceretur, in ſeipſa manens, innouat omnia. Ideo uerbum patris appellatū, quia per ipſum innoteſcit pater. Sicut enim uerbis noſtris hoc agimus, quum uerum loquimur, animus noſter innoteſcat audienti, & hoc conamur & uerbis, & ipſo ſono uocis, et uultu et geſtu corporis, ut animū ipſum noſtrum, in nobis quidem manentes (quoad fieri poteſt) cognoſcendum & perſpiciendum animo auditoris inferamus, quod intus eſt demonſtrare cupientes. Sic deus pater uerbū ad ſeipſum indicandum genuit, quanquam hæc ſimilitudo infinitam diſſimilitudinem habeat. Deus enim quum uerbum genuit, id quod eſt ipſe, ab æterno genuit, in illud eſſentiam ſuam transfundens. Vnde & uirtus & ſapientia eius dicitur, quia per ipſum operatus eſt, & diſpoſuit omnia. Et ne quis in hac rerum creatione ſomniet præexiſtentem materiam, diuus Ioannes ait: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod & Apoſtolus exerte pronuntiat Coloſſ. i. Quoniam per ipſum condita ſunt uniuerſa, ſiue throni, ſiue, dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. Fecit in cœlo uiſibilia, ſolem & lunam & ſtellas. Suis animalibus terreſtribus, & omni plantarum genere impleuit terram. Impleuit aerem uolatilibus, mare natantibus, omnia impleuit creaturis proprijs. Fecit & hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, in mente homini indita. ibi enim eſt imago dei. Ideo mens ipſa non poteſt comprehendi, ne a ſeipſa quidem, quia eſt imago dei. Fecit, inquam, hominē, ut creaturis cæteris dominaretur,

& conſtituit eum ſuper opera manuũ ſuarum. Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi, Volucres cœli & piſces maris, qui per ambulant ſemitas maris. Et ut hæc propter hominem, ita hominem atque omnia alia propter ſe, tametſi ipſe nullius egeat, creauit. Siquidem hic eſt finis omnium rerũ conditarum, ut cognoſcant & glorificent conditorem ſuum, quod fidelis Dauid non tacuit. Pſal. xix. xxiij. ciij. ac. cxlviij. Quod & hymnus trium puerorũ manifeſte declarat. Et quis tam cæcus eſt, qui non uideat, cœlos enarrantes gloriã dei? Et hanc uniuerſitatem rerum conditarum demonſtrare ac teſtari deum, qui ſit omnipotens, ſapiẽs, bonus & iuſtus. Ideo & Paulus ad Romanos inquit, diuinitatem in natura conſpici. Inuiſibilia enim dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius uirtus & diuinitas, ita ut omnes pronunciet inexcuſabiles, qui quum ex creatura cognouiſſet deum, non ſicut deum glorificauerunt. Nonne lex naturæ, quæ in omnibus rebus conditis uiget, hanc rerum naturam non exiſtere caſu, ſed certo conſilio conditam eſſe gubernari & conſeruari aperte clamat? Veluti quod corpora cœleſtia tot annorum millibus, ſuos certiſſimos motus retinent. Quod ſuperiora & inferiora corpora, in quadam naturarum contrarietate, perpetuo quodã conſenſu colligantur, quod uices temporum recurrunt, quod maria, flumina, fontes, plantæ, & omne animantium genus, ſuæ quodq; naturæ legibus obtemperant, & in ſuos certos uſus ac fines diriguntur. In primis autem in mente hominis expreſſum quoddã ueſtigium diuinitatis deprehendimus, quum illius ad mirabilem uim in corpore humano ſentimus. Peer hos gradus etiam ethnici uenerunt ad aliquam notitiam ſummæ illius mentis, unde condita ſunt omnia. In quibus tamen nihil eſt tam egregium, quin infinitis partibus ſit infra primam cauſam.

IAm Chriſtiani hominis eſt, non ſolum intelligere hunc orbem a deo conditum, ſed et deum ubique eſſe præſentem, ſuſtentantem & gubernantem omnia. Adeo, ut ſi ille uel pauliſper manum ſubtrahat, omnia ſtatim in nihilum reciderent, quemadmodũ ſcriptum eſt. Pſal. ciij. Porrigente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerẽ ſuum reuertentur. Quamobrem in hoc articulo, nomine creationis non ſolum conditio, ſed & ſuſtentatio ac gubernatio & conſeruatio rerum conditarum intelligi debet, uti quoque eodem pſalmo ſubijcitur: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Hinc fit, ut in tota ſcriptura nihil uel factum geratur, uel dicatur ſine mentione dei, ut ſciamus deum eſſe, cuius nutu geruntur omnia, atque adeo prope adeſſe deum, ut pene manibus contrectari poſſit. Quemadmodum in Actis legimus Paulum inſigniter dixiſſe ad uiros Athenienſes: Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli et terræ quum ſit dominus, non in manufactis templis habitat (intellige quaſi circunſcriptus loco) nec manibus humanis colitur, indiges aliquo quum ipſe det omnibus uitam & inſpirationem, & omnia, fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper uniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora &

terminos habitationis eorum quærere deum, ſi forte attrectent aut inueniant, quãuis non longe ſit, ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim uiuimus & mouemur & ſumus. Et ad Hebre. 1. *portans omnia uerbo uirtutis ſuæ.* Idem ad Coloſſ. 1. *Omnia p ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Quod Chriſtus (illud æternum dei uerbum) in Euangelio manifeſtisſime docet Matthe. x. *Duo (inquit) paſſeres aſſe ueneunt, & unus non cadit ſuper terram ſine patre ueſtro, ueſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt:* Et iterum: *Reſpicite uolatilia cœli, quoniam non ſerunt neque metunt, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa.* Et paulopoſt: *Si enim fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, deus ſic ueſtit, quanto magis uos, modicæ fidei?* Verbum ergo, quo deus dixit: *Germinet terra herbam uirentem & facientẽ ſemen, & factũ eſt ita,* non deſijt operari ſed perpetuo operatur, & perpetuo uſque in conſummationem ſeculi fit ita, & ſic de reliquis rebus creatis. *Verbo enim domini cœli firmati ſunt & terra:* Vt proinde dixerit Chriſtus: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor,* Quod & ubique Pſaltes mirifice inculcat: *Omnia (inquit) a te expectant, ut det illis eſcam in tempore. Dante te illis, colligent.* Et iterum *Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno.* Atque alibi: *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcã ipſorũ, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Ac Pſal. xxxv. *Homines & iumenta ſaluabis domine.* Et iterum: *Scitote quoniã dominus ipſe eſt deus, ipſe fecit nos, & nõ ipſi nos, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Quæ omnia euidenter oſtendũt, nos non naſci aut uiuere aut ali, aut hoc uel aliud operari caſu, aut tantum noſtris uiribus ſeu prouidentia, ſed deo dante, uiuificante ac conſeruante. Quemadmodum diuus Paulus Timoth. 6. uocat deum uiuificantem omnia, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum, & eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium.

Hæc altius repetere, uiſum eſt, quod ſciamus maximam hominum partem, tanta mentis caligine obtenebratam, ut etſi ſe noſſe deum profiteantur, factis tamen negent. ac ſic uitam inſtituant, quaſi deo res creatæ nullæ ſint curæ. E quaſi deum aliquid cœlare, aut præter illum ſibi proſpicere. aut quid aliud agere poſſint. Quum tamen omnia nuda & aperta ſint oculis eius, qui ſcrutatur renes & corda deus, ſine quo nihil facere poſſimus. Qui craſſisſimus error facit, ut hoc hominum genus nunquam recta mente ſit erga deum, & quicquid agat, non agat ex fide, aut ſimplici oculo in deum collato (quem Chriſtus in omni actione requirit) fit quoq;, ut deum non recte colat aut inuocet. Cui enim nondum perſuaſum eſt, omnia a deo petẽda, ſed humanis uiribus aut prouidentia comparanda, quomodo is in oratione dominica, panem quotidianum a deo recte petierit? quod id nemo recte fecerit, niſi qui certum habeat eum adeſſe, gubernare, alere, & conſeruare omnia. Et nihil nobis uel boni uel mali contingere poſſe, niſi dante uel permittente deo. Qui uero eo peruenit, ut hæc intelligat, is non poteſt ſuis uiribus, & quibuſcunque alijs externis præſidijs non diffidere, & totus ab illo pen-

dere, qui poteſt & præſtat omnia. Is nihil ſuæ ſapientiæ tribuit, quum dei ſapientiam intuetur, ſed credit omnia rectisſime, iuſtisſimeq; ab eo fieri, etiāſi iuxta ſenſum humanum (id quod interdum fit) abſurdum uideatur, quale eſt, qđ uidemus impios rebus exterioribus florere, & pios in hoc mundo tribulationi expoſitos eſſe. Is deniq; cum bonitatem dei, omnia propter hominem, ipſumq; hominem in ſuā imaginem & ſimilitudinem creantem, ac lapſum per filium reſtituentem, ac omnia per Chriſtum in ſpiritu ſancto, cum fiducia petenti, donantem intelligit, uidet nihil eſſe, quod illius gratuitæ beneficentiæ non debeat. Quo fit, ut ſyncero affectu totā ſpem in illum transferat, ut omnem ſolicitudinem plena fiducia in illum (cui ſcit eſſe curam de nobis) conijciat. Vnde tandem cōſequitur, ut uiuida charitate erga deum afficiatur, & in illum tendat, quem nouit eſſe ſumme bonum, Nihil illi in amore aut præferens aut æquans, ut libeat potius relinquere patrem, matrem, liberos, & uxorem, ut malit amittere principis amorem, perdere opes, honores, & omnem uoluptatem, quin & uitam (ſi deus ita iuſſerit) q̄ hunc offendere. Qui quicquid ueneratur, quicquid metuit, quicquid amat, præter eum, eius cauſa amat, metuit, ac ueneratur, omnia ad illius gloriā referens, ſemper gratias agens, ſiue contingant læta, ſiue triſtia, ſiue mori detur, ſiue uiuere, certus, diligentibus deum, omnia cooperari in bonum, & deum non derelinquere ſanctos ſuos ſed in æternum conſeruare, breuiter beatos eſſe omnes, qui confidunt in eo.

ET IN IESVM CHRISTVM FILIVM EIVS VNICVM DOMINVM NOSTRVM.

Hic ſecundum caput apoſtolici ſymboli ingredimur, quod nobis, ſecundam perſonam, quæ filij eſt redemptoris, proponit, quam in primis uarijs cognomentis nobis deſignat, ut omnibus modis declaret hanc perſonam, quæ, carnem aſſumpſit, eſſe uerum deum de deo, & uerum hominem ex homine. Sicut enim anima rationalis & caro unus eſt homo, ita deus & homo unus eſt Chriſtus Ieſus. Et quemadmodum ab æterno tres perſonæ deitatis ſunt, in unitate naturæ ſeu ſubſtantiæ, ita tempore deſtinato factum eſt, ut uerbum dei humanam naturam aſſumens ſine confuſione ſubſtantiæ, unum Chriſtum conſtitueret, ſicuti Ioannis Euangelium teſtatur: Verbum caro factum eſt. Verbum, inquam, quod in principio erat deus, apud deum, per quod omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Verbum, in quo uita erat, lux hominum, & lux in tenebris lucebat, & tenebræ eam non comprehenderunt, lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, Verbum denique, quod in mundo erat, per quod mundus factus eſt, & quod mundus non cognouit, factum eſt caro. Filius dei factus eſt homo Hic enim caro totum hominem ſignificat, ſicut ſæpe alibi. Induit inquam, humanam naturam dei filius, ut daret ſe recipientibus, ac lucem hanc apprehendentibus, poteſtatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui nō ex ſanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neq; ex uolūtate uiri (quales om-

nes ſumus ex Adam) ſed ex d͂o nati ſunt, id eſt, regenerati ſunt. Hic eſt Chriſtus Ieſus plenus gratiæ & ueritatis, De cuius plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, per quem deus, quem nemo uidit unquam, multifariam, multiſque modis olim in prophetis loquutus, nouisſime nobis in perſona eiuſdem filij ſui familiarisſime euidentisſimeque innotuit. Vnigenitus enim filius, qui eſt in ſinu patris. ipſe enarrauit per quem allata eſt uita æterna. Hæc enim eſt uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum, per quem liberatio ac ſalus, humano generi, in diabolica captiuitate detento, apparuit, quemadmodum ſcriptum eſt: Si uos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Quum enim primus parens noſter Adam, ab initio ad dei imaginem & ſimilitudinem conditus, ac in paradiſo delitiarum. ubi erat perpetuo beatus, & immortalis futurus, per inobedientiam ſeipſum perdidiſſet, factus carnalis & mortalis, tota natura corruptus & deprauatus, nimirum auerſus a deo uero, æterno illo ac incommutabili bono, atque hanc corruptelam, in totam ſtirpem ſuam, maſſæ corruptæ ſobolem, deriuaſſet, non potuit homo, ſicut ſponte ceciderat, ita ſponte etiam reſurgere, quemadmodum qui ſeipſum occidit, ſeipſum reſuſcitare non poteſt. Sed neceſſarius erat mediator, per quem deus dexteram ſuam nobis porrigeret qua perditos nos reuocaret in uitam, & captiuos uindicaret in libertatem. Proindeq; factum eſt, ut illud dei uerbum, per quod facta ſunt omnia, & in quo omnia ſubſiſtunt, caro fieret, & uſque ad miſeriam noſtram ſeſe dimitteret, et habitaret in nobis, quemadmodum diuus Paulus ait: Qui quum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, ut filius qui in deitate erat patri æqualis, humanam indutus naturam, & quatenus homo, ab omni tamen peccati labe longe alienisſimus, deo patri uſque ad mortem obediens factus, hominem, qui a deo per inobedientiam in mortem prolapſus erat, ſeque diabolo ſubiugauerat, in uitam ac libertatem reuocaret. Nobis datus, nobis natus, ut peccata noſtra, immo totius mundi (pro quibus nihil dignum nos quod exoluerimus deo, habuimus) ipſe portaret, et nos quum inimici eſſemus deo, per mortem ſuam in ſanguine ſuo reconciliaret, ſuiq; ſpiritus in ſe credentes participes faceret, per quem diffunderet charitatem in cordibus noſtris, qua deum ſponte ac libenter, non ut ſerui, ſed ut ingenui filij, læti ac alacres, dei uoluntatem faceremus. Tunc enim efficimur uere liberi, quum deus nos fingit, id eſt format & creat, non ut homines (quod iam fecit) ſed & ut deo accepti ac boni homines ſimus, quod nunc gratia ſua facit, ut ſimus in CHRISTO Ieſu, noua creatura, ſecundum quod dictum eſt: Cor mundum crea in me deus. Neceſſe ergo fuerat, ut hic mediator, ſimul deus eſſet & homo, quod alioqui perditos ſeruare, mortuos uiuificare, iuſtificare impios, peccata remittere, ſpiritum ſanctum dare, breuiter, nos regenerare non potuiſſet, quæ omnia benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri dei in Chriſto non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam perfecit. Miſericordiam enim conſequuti ſumus, ut ſimus fideles, & hoc non ex nobis, ſed dei donum eſt,

non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ne tamen quis intelligat, ſic nos gratis liberatos, ut bonis operibus poſthac non ſit opus, ſtatim ſubiecit: Ipſius enim figmentum ſumus, in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, ut in illis ambulemus Non quæ iuſtificandũ præcedunt (quod impoſsibile ſit ſine fide, placere deo, aut bene uiuere) ſed quæ comitantur iam iuſtificatum, qui ſunt fructus ſpiritus & fidei per charitatem operantis.

ET IN IESVM. Vides qualis uenerit hic mediator. Non enim uenit ut ultor, ſed ut ſaluator. Ieſus enim Hebræis ſaluatorem ſonat, ut non temere id nominis ei tributum ſit, ſed ab angelo priuſquam naſceretur, inditum, ſicut ſcriptum eſt: Et uocabis nomen eius Ieſum. ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Legimus & alium quempiam Ieſum, filium Naue, ſed nihil aliud quam Ieſu redemptoris typum ac imaginem gerentem. Moſes enim. qui typus ueteris legis eſt, non potuit populum in terram repromiſſam perducere: ſed illi ſuccedens dux Ieſus, qui & Ioſue perduxit. Et quemadmodum is de terra Aegypti populum eductum, deq; heremi erroribus liberatum, in terram repromisſionis introduxit. Ita hic Ieſus redemptor noſter populum, de ignorantiæ tenebris eductum, & de mundi erroribus euocatum, ad regna cœlorum prouexit. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, q. non ſit aditus ad ueram fœlicitatem, niſi per fidem in Ieſum, Sicut ipſe teſtatur, Nemo (inquiens) uenit ad patrem, niſi per me. Et iterum: Ego ſum uia, ueritas, & uita. Ego ſum oſtiũ: ſi quis per me introierit, ſaluabitur, & c. quæ ſequuntur.

CHRISTVM, Chriſtus uel regium uel pontificale nomen eſt. Nam & ſacerdotes & reges apud Iudæos, unguento chriſmatis conſecrabantur, qui & Chriſti dicebantur, ſed illi exteriori unguento, materiæ corruptibilis, uelut mortales et corruptibiles ungebantur. Hunc autem ſingulariter plenitudine ſpiritus ſui, unxit deus, ſicut & Eſaias ex perſona domini præſignauerat: Spiritus domini ſuper me, eo quod unxerit me, euangelizare pauperibus miſit me. Vterque porrò titulus Chriſto apprimè congruit, qui dictus eſt ſacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Qui ut ſacerdos ſeipſum agnum uere immaculatum in ara crucis obtulit pro ſalute mundi. Rex quoque ab angelo pronuntiatus eſt: Dabit (inquit) illi deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Regnabit, inquam, non in regno corporali aut mundano, quod nullum tale ſit æternum, et ut ipſe alibi teſtatur: Regnũ eius non eſt de hoc mundo, ſed ſpirituali, in quo ſedet ad dexteram dei patris, interpellans pro nobis, dans remisſionem peccatorum & ſpiritum ſanctum in ipſum credentibus, & inuocantibus eum, quos & ſanctificat, ut reſuſcitet eos a nouisſimo die ad uitam & gloriam æternam. De hoc Chriſti regno, quod eſt uita æterna, quæ hic in nobis incipit, ibi conſummanda, alibi fuſius dicemus. Tantum hic admonebimus ſymbolum docere, hunc eſſe uerum Meſſiam illum unicum a prophetis olim promiſſum. Nam quẽ Latini unctum uocant, Græci Chriſtum, Hebræi Meſſiam appellant. Proindeque cæcos Iudæos fruſtra alium expectare, quod ſemel Chriſtus uenerit, qui non potentia corporali inſtructus, ſed plenitudine ſpiritus ſancti inunctus, ſanguine ſuo, cõſummato illo

to illo unico atque admirabili ſacrificio, in ara crucis oblato, nos a tyrannide Satanæ liberauerit, condonatiſq; peccatis omnibus, ueræ libertati reſtituerit, tandem quoq; cœleſtis regni ſibi cohæredes & conſortes aſciſcendos.

FILIVM EIVS VNICVM DOMINVM NOSTRVM, Duobus prioribus uerbis, ſymbolum, eam perſonam nobis nominatim indicauit, quæ in hoc erat ab æterno deſtinata, ut per eam mundus redimeretur, & ut notum faceret nobis deus ſacramentum uoluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitũ eius, quod propoſuit in Chriſto, in diſpenſationẽ plenitudinis temporũ, inſtaurare omnia, quæ in cœlis & quæ in terra ſunt in ipſo. Iam declarare incipit, hanc perſonã & uerum deum & uerũ hominem eſſe. Verum enim deum oſtendit, quum Chriſtum filium dei unicum pronunciat, id eſt, natura filium dei, ex ſubſtantia patris genitum, et ut aliud ſymbolum exponit, patri conſubſtantialem. Et proinde ob diuinã naturam, quam eandem habet cum patre, omnipotenti uirtute, magnitudine, ſapientia, bonitate, ſempiternitate, hoc quod pater eſt, omnia tamen hæc non ſine authore ſicut pater, ſed ex patre, tanquam filius patri æqualis, habet, ſine initio a patre natus, quemadmodum Ioannes ait: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum, hoc erat in principio apud deum. Porrò filium dei quum audis, nolo cogitationem carnalis natiuitatis aſſumas, ſed cum Eſaia exclama: Generationem eius quis enarrabit? Nam ſi uel eo quod cor generat uerbum, uel mens rationem, uel lux ex ſe parit ſplendorem, nulla fragilitas cogitatur, quanto ſacratius de horum omnium creatore cenſendum eſt? Quanquam hic nulla ſimilitudo afferri poſſit, quin innumera diſcrepent. Nulla enim creatura talis eẽ poteſt, qualis creator eius. Et ideo ſicut ſine exemplo eſt diuina ſubſtantia, ita & ſine exemplo eſt diuina generatio. Lux enim non parit ſubſtantiuum ſplendorem, aut cor ſubſtantiuum generat uerbum ſiue conceptum ſiue prolatum, ſed filius dei ſubſtantialiter generatur, q. pater in eum omnem eſſentiam ſuam transfundit. Sicut ipſe in Euangelio dicit: Ego & pater unum ſumus.

ADdidit ergo, VNICVM, Vt nunc natura filium dei, ſecernat à filijs adoptiouis dei. In ſcripturis enim frequenter homines pij appellantur filij dei: at nõ natura. Natura enim omnes nati ſumus filij iræ, ſed dignatione adoptionis per fidem in Chriſtum, facti ſumus filij dei, quemadmodum Ioannes ait: Dedit eis poteſtatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius, quum Chriſtus unquam non fuerit natura filius dei, deus de deo. Itidem Paulus Apoſtolus: Prædeſtinauit (inquit) nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum. Et iterum Roma. viij. Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus, Abba pater.

SEcundum ergo hanc priorem generationem, Chriſtus non frater eſt noſter nec hæres dei, nec fratres habet, nec cohæredes habet. Quanquam etiam uel ob id filius unicus recte aſſeritur, quod licet ſit deus et homo, duabus naturis, deitate ac humanitate conſtans. Sit etiam bis natus, unius tamen filius ſit. Non enim duos fatemur filios, ſed deum & hominem, unum filium credimus, manentem in duabus naturis, non

tamē confuſis. Et quanquam duas habeat natiuitates. Vnam, qua naſcitur ex patre ſine tempore, alteram, qua naſcitur ex uirgine matre, tempore præfinito a deo, non tamen duo, ſed unicus eſt filius, non alius, ſed idem aliter natus.

DOMINVM NOSTRVM, *Filius in ſcripturis frequenter dominus appellatur, quod cognomen in Chriſtum competit, non tantam iuxta alteram, ſed utranque naturam & diuinam & humanam. Quatenus enim eſt ab æterno deus de deo, dominus eſt omnium, non alius dominus a patre, quemadmodum nec alius deus. Etſi enim dicuntur alij domini, conceſſa & impartita, non ingenita poteſtate dicuntur. Hic uero ſolus eſt unicus filius, & ſolus unicus dominus. Sicut Apoſtolus dicit: Vnus pater deus, & unus dominus* IESVS CHRISTVS, *per quem omnia. Iuxta aſſumptam uero naturam, per crucem, mortem & ignominiam promeruit intrare in gloriā patris, omnibuſq; ſibi ſubiectis, conſtitutus eſt ad dexteram dei in cœleſtibus, ſuper omnem principatum & poteſtatem & uirtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro.*

Et ut alibi Paulus ait: Datum eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtiū, terreſtriū & infernorū. Et omnis lingua confiteatur qa dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt dei patris. Vnde ipſe apud Mattheū dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et ut humanitati Chriſti non tribuamus omnipotentiam. tamen ob unitatem hypoſtaſeos, duas naturas complectentis recte dicitur omnium dominus, quemadmodum Chriſtiane ac pie dicimus Deum paſſum ac mortuum, Sed peculiari ratione, Chriſtus dicitur dominus credentium, ſeu electorum, & ideo ſymbolo additur, noſtrum, quo admonemur, quotquot in Chriſto per baptiſmum renati ſumus, quotquot habemus redemptionem per ſanguinē eius, ut totos nos ei dedicemus, & hunc unicum dominum noſtrum profiteamur, qui nos a dominatu Satanæ liberauit, & ſibi peculium & populum acquiſitionis fecit. Nam quum eſſemus ſerui peccati (qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati) & per peccatum diabolus in nos tyrannidem obtineret, is clementiſſimus dominus, noſtri miſertus, ab hoc tyranno crudeliſſimo dominum in ſe tranſtulit, & nos ſuo ſuauiſſimo iugo ſubiecit, ut qui in baptiſmo diabolo renuntiamus, & ipſi uti domino noſtro nomen damus, ipſius etiam præceptis per omnem uitam uoluntarie parere, & ſub eius tutela ſecuri uiuere & poſſimus & debeamus. Suauiſſima uox eſt dicentis: Vos uocatis me magiſter & domine, & bene dicitis. ſum etenim. Sed uide quid repoſcat: nempe ut quemadmodum ipſe fecit, ita & nos faciamus. Certi, quod ab eo toti pendentes, uti ſimus ab omni periculo. Nam oues, quæ audiunt uocem eius, & ſequuntur eum, non peribunt in eternum, & non rapiet eas quiſquam de manu eius. Breuiter. dat eis uitam æternam: nimirum a patre impetrans hic benigniſſimus dominus, ut ubi ipſe eſt, illic ſit & miniſter eius.

E*T quanquam ſecundum hanc rationem humanitatis aſſumptæ & peractæ redemptionis dominus noſter ſit, Non dedignatur tamen ſecundum eandem, nos*

ſuos compellare fratres, & pro ſeruis amicos, Quid ni? quum nec dedignatus ſit agere miniſtrum: Ego(inquit)in medio ueſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Ad hæc uocabula non æqualitatis, Sed ſimilitudinis, cognationis, & charitatis ſunt. Nam quod & ad humanitatem attinet, habitu quidem inuentus eſt ut homo, receptis in ſe omnibus incommodis, quæ naturæ ueritatem comitantur, ut ſunt, eſurire, ſitire, laſſari, angi, tædere, denique mori, idq; uolens noſtra cauſſa, ut exoluere quod nos commerueramus, ſed interim gratia & ueritate ſemper plenus, nempe in quo inhabitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, expers omnis peccati, & ad peccandum procliuitatis, erroris. ignorantiæ, breuiter omnium, quæ uel non congruunt dignitati perſonæ(quæ ſimul erat deus & homo)uel gratiæ plenitudinem excludunt.

QVI CONCEPTVS EST DE SPIRITV SANCTO, NATVS EX MARIA VIRGINE.

HIc articulus, ſecundam Chriſti natiuitatem(de qua propheta prædixit: Poſthæc inquiens, in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt)proponit. Quē ergo ex prioribus, ſecundum naturam diuinam ab æterno ineffabiliter ex patre natum didiciſti, eundem hic audis in tempore de ſpiritu ſancto conceptum, & ex uirgine natum, quemadmodum ante multa ſecula uaticinatus erat Eſaias: Ecce(inquit) uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel, quod eſt, nobiſcum deus. In primis ergo hoc articulo refertur, Spiritus ſanctus dominicæ carnis & templi eius creator, Sic tamen, ut intelligas totam trinitatem hoc adorabile myſterium cooperatam eſſe. Quod teſtatur Euangeliſta, referens, angelum uirgini mariæ reſpondentem: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altisſimi obumbrabit tibi. Et ideo quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius dei. Adeſt ergo altisſimus, intellige patrem, fontem & authorem deitatis. Adeſt uirtus altisſimi, nempe filius, qui proprie carnem aſſumpſit. Adeſt Spiritus ſanctus, cui tamen hoc opus peculiari quadam ratione attributum, ſcriptura dedicat, quod non eſt rarum, ut quædam quæ omnium perſonarum communia ſunt, ſcriptura ſingulis tribuat perſonis, ueluti quum patri tribuit omnipotentiam, filio ſapientia, Spiritui ſancto charitatem. Iam quum opus incarnationis Chriſti, opus ſit incomprehenſibilis & ineffabilis charitatis dei, quemadmodum Chriſtus dixit: Sic deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, recte opus Spiritui ſancto tribuitur, per quem dilargitur chariſmata.

NATVS EX MARIA VIRGINE, Sic enim debeat adimpleri ſcriptura, pphetico ænigmate ppetuā integritatē uirginis Mariæ ſignificās, quū ait: Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & uir non tranſibit per eam, eritq; clauſa principi. Quo quid euidētius de cōſecratione uirginis dici potuit? Clauſa fuit in ea uirginitatis

porta, ſoli deo Chriſto principi patuit, reſpiciens ad orientem, unde ſol oritur nunquã occidens, qui uiſitauit nos oriens ex alto, ut illuceſcat his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, per hanc pro iijt ſol ille iuſtitiæ, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Non humana ſed uulgari ratione. Spectabat enim porta ad uiam ſanctuarij exterioris, quoniam ea natiuitas erat extra uulgarē hanc natiuitatem, nihil habens admiſtum humanæ concupiſcentiæ aut fragilitatis. Suſcepit Verbum carnem, non eſt mutatum in carnem, quia manens deus ſuſcepit hominem.

QVanquam nec hoc omittendum uidetur, ꝙ filius dei per animam rationalem, tum ſimul creatam, omnis cœleſtis gratiæ plenam in ſecreta rationabilis ſpiritus arce Verbum capientem, tanquã mediam, carni unitus ſit. Neque enim ſubſtãtia dei, quæ per omnia incorporea eſt, inferi corporibus, uel capi ab eis principaliter poteſt, niſi aliqua media ſit ſubſtantia ſpiritualis, quæ capax eſſe diuini ſpũs poſſit. Nihil ergo hic uulgare cogitandũ eſt, ubi ſanctificatio ſpũs inerat, & anima q̃ erat dei capax, particeps etiã fiebat carnis. Nihil putãdũ impoſſibile, ubi aderat uirtus altiſſimi. Nihil de humana fragilitate cogitandũ, ubi plenitudo inerat deitatis.

VIrginem autem deſignat ex nomine Mariam, idq; nõ temere: quod et Lucas facit: Miſſus eſt (inquit) angelus Gabriel ad uirginem deſponſatam uiro, ac ſtatim poſtea: Et nomen uirginis Maria. Hec eſt illa Maria, ad cuius nomen recreantur omnes animæ piorum, Eua ſiquidem diabolo aſſentiens, maledictionem & mortem orbi intulit, Maria uirgo deo credens, benedictionem & uitam protulit. Per Euam adhuc uirgine, ſerpentis afflatu deceptam. uenit calamitas, Per uirginem ſpiritus ſancti afflatu grauidam, redijt beatitudo. Per Euam præuaricantem dei præceptum, iræ filij naſcimur. Per Mariam deo ſubditam ac dicto angelico parentem, atq; credentem, Chriſtũ accepimus, per quẽ renaſcimur filij dei. Eua ſuperbiens gratiam dei amittens, audiuit: Multiplicabo ærumnas tuas, & cõceptus tuos, In dolore paries filios, & quæ ſequuntur. Maria gratiam apud deum inueniens, humilis audiuit: Aue gratia plena, dominus tecum. benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui, nimirum, in quo benedicuntur omnes tribus terræ.

NOn ſuffecerit autem: ut hæc omnia ineffabili dei diſpenſatione facta credas (nam & dæmones ad eum modum credunt & contremiſcunt, exclamantes: Ieſu fili dei altiſſimi, ut quid ueniſti ante tempus perdere nos?) ſed neceſſe eſt ut credas hæc omnia propter te facta, quemadmodũ ſymbolum Nicænum exerte commemorat: Qui propter nos (inquit) & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria uirgine, & homo factus eſt. Venit de cœlis deus, homo fafactus ex uirgine, ut eſſet mediator dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula, ut eſſet uia per quam ueniremus ad patrem, quem admodum ipſe ait: Ego ſum uia, ueritas & uita. Neq; enim per ullam aliam creaturam, ſiue ſit in cœlo, ſiue ſit in terra, uenitur ad patrem, ſed tantum filium. Nec eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, eo ꝙ non ſit in alio modo

ſalus. Verbum caro factum eſt, ut lactaret infantiam noſtram ſapientia dei, per quam creata ſunt omnia. Induit humanam naturam æterna ueritas, ſupereminens omnibus creaturis ſuis, ut ſubditos erigeret ad ſeipſam, ut aperiret nobis uoluntatem dei, ut erudiret nos abnegare omnem impietatem, & ſecularia deſideria, ut nos deprimeret a nobiſipſis, & ad ſe traijceret, ut carnales faceret ſpirituales, ut filios hominum per inſitionem adoptionis faceret filios dei, factus humilis, ut ſanaret ſuperbos. Exaltauit enim ſe homo, & cecidit, humiliauit ſe deus, & erexit. Nos cecidimus, ille deſcendit, Nos gemebamus, ille ſe inclinauit, ac manum deus homini porrexit, ac miſere lapſum ſubleuauit. Conceptus de ſpiritu ſancto, ſine omni humana ac carnali actione, ſine uiri ſemine, idq; propter nos, ut conceptionem noſtram carnalem, impuram ac damnatam mundaret: noſq; per infinitam ſuam patriſq; miſericordiam in ſpiritu ſancto regeneraret. Natus ex Maria uirgine, illeſa ipſius uirginitate ac pudore permanente, idq; propter nos & natiuitatem noſtram, originalis peccati macula pollutam, purgaret deus & homo. nãqui poſſet hæc, niſi eſſet pariter deus & homo? Quis enim (ut Iob ait) poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?

PASSVS SVB PONTIO PILATO, CRVCIFIXVS, MORTVVS ET SEPVLTVS EST.

IAm myſterium paſſionis ingredimur, quod Paulus Apoſtolus uerbum crucis appellat, in quo ſolo oportet nos gloriari. Nam etſi uerbum crucis pereuntibus ſtultitia ſit, his tamen qui ſalui fiunt, uirtus dei eſt. Inprimis ergo credimus, Chriſtũ uere paſſum. Sic enim ſcriptura clamat apud Eſaiam prophetam: Vere lauguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et in Euangelio Lucæ dominus loquitur: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum antequam patiar. Et iterum: Nõne oportuit Chriſtum pati, et ita intrare in gloriam ſuam. Item prima Petri ſecundo: Qui quum pateretur, non comminabatur. Paſſus itaq; eſt in corpore & anima, indicans ſe uerum hominem eſſe, captus, uinctus, contumelijs adfectus, colaphis cæſus, conſputus, flagellatus, ſpinis coronatus, deniq; in crucem actus. Et ne exiſtimes eum a paſſione, quod ad animam attinet, liberum fuiſſe. audi quid dicat: Triſtis (inquit) eſt anima mea uſque ad mortem, & factus in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Abſit autem, ut credas Chriſtum uel damno aliquo aut iniuria impaſſibilis diuinitatis, in carne paſſum, aut paſſionem quam in carne & animo ſuſtinuit, per diuinitatis unionem abſorptam eſſe. Vnio enim illa incomprehenſibilis, ſingulis naturis ſuam proprietatem ſeruauit. Quod enim paſſibile, nempe humanitas, paſſibile fuit. Quod impaſſibile, nempe diuinitas, mãſit impaſſibile. Ego (inquit) deus, & non mutor.

SVB PONTIO PILATO, Iudicis nomen, ſub quo paſſus eſt Chriſtus, adiectum eſt, propter temporum agnitionem, & hiſtoriæ certitudinem. Erat enim id

temporis Pontius Pilatus præſes Iudææ, ſub Tyberio Cæſare Auguſto, Qui Chriſtū, licet innocentem, a ſe iudicatum, in crucem tamen egit.

CRVCIFIXVS. Mortis genus audis, quod ut erat maxime cruciabile ac lentum, ita habebat ſummam ignominiam, maxime apud Iudæos. Nam in lege eorum ſcriptum reperiebatur: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Cur autem hæc mortis ſpecies omnium acerbisſima a deo electa ſit, præter ſcripturæ uaticiniū (quæ hanc et typis & prædicationibus apertisſimis futuram prodiderat) non oportet Chriſtianū admodum eſſe ſolicitum, modo credat ac ſciat eā mortis ſpeciem, ad redimendum genus humanum, nedum optimam, ſed & decentisſimam fuiſſe. Decebat enim, ut qui in ligno per ſuperbiæ & uoluptatis ſtimulos uicerat, in ligno quoq; per extremam humilitatē & ingentisſimos dolores uinceretur per Chriſtum dominū noſtrum. Decebat ut Chriſtus expanſis brachijs a terra ſublimis penderet, qui pro ſua ineffabili miſericordia quærebat omnes complecti, quemadmodū ipſe, diſcipulis ſuis, mortis genus ſignificās, ait: Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. Decebat eum, propter que omnia, & per quem omnia, qui multos, filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per pasſionem & crucem conſummari. Decebat ut ſponſus noſter thalami ſui lignum aſcenderet, & quum in eiuſmodi thalami lecto dormiret, aperiretur latus eius, & eccleſia uirgo prodiret, deſpōſanda Chriſto, ut quomodo Eua facta eſt ex latere Adæ dormientis, ita & eccleſia formetur ex latere Chriſti in cruce pendentis, ex quo manauit ſanguis & aqua, quæ ſunt eccleſiæ ſacramenta. Decebat deniq; ut Chriſtus, qui ſibi tria regna ſubiecturus uenerat, quemadmodum Paulus apoſtolus ait, Quia in nomine Ieſu omne genu flectetur, cœleſtium: terreſtrium, & infernorum, in aerem ſublimatus, aereas ſubiugaret poteſtates, tenderetq; manus, ut & populo nō credenti, incredulitatem ſuam exprobraret, & inuitaret credentes, fixa demum cruce in terram, ut indicaret ꝙ inferna ſibi regna ſubijceret. Crux ergo iſta triumphus erat ſeu potius triumphi inſigne, quod trophæum appellamus, nempe deuicti hoſtis indicium.

MORTVVS, Ecce hoſtia pro peccato in ara crucis immolata. Ecce Chriſtū, dei & hominis filium, obedientem patri uſq; ad mortē, mortem autem crucis. Ecce Ieſum gratia dei pro omnibus mortem guſtantem, atq; ideo participantem carni & ſanguini, ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam uitam obnoxij erant ſeruituti, Id quod & eccleſia canit: Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit. Et propheta Oſee ante multa tempora Prædixit: O mors, ero mors tua, morſus tuus ero inferne, Et ideo Chriſtus noui teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromisſionem accipiant, qui uocati ſunt æternæ hæreditatis. Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioqui nondum ualet, dum uiuit qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Et omnia pene in

ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio Sed prioris teſtamenti typi, nimirum diuerſa illa hoſtiarum & holocauſtorum genera eua nuerunt, poſtquam Chriſtus uerus agnus dei, qui tollit peccata mundi, per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum deo, ut mundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum deo uiuenti. Obtulit autem ſemetipſum uoluntarie ſacrificium deo, ſicut ſcriptum eſt. Oblatus eſt, quia uoluit, ut uel hoc inter mortem noſtram & Chriſti interſit, quod noſtra anima ui morbi, aut humorum defectu à corpore depellitur, ſed dominus uolens animam ſuam depoſuit, quemadmodum apud Ioannem ait. Nemo tollit animam meam a me, ſed ego pono eam a meipſo.

ET SEPVLTVS, *Sepultus eſt, ut monumentum clauſum, reſurrecturo ad uitæ nouitatem, teſtimonium præberet, ſicut naſcituro uterus uirginalis. Sepultus autem in monumento nouo, è uiuo ſolidoq; lapide exciſo, ut ſicut in hoc monumento nullus alius mortuus ſepultus eſt, nec ante, nec poſtea, ſic in illo utero, nec ante nec poſtea quicquam mortale conceptum eſt, quanquam & alia pleraque myſteria hæc ſepultura complectatur.*

IAm qui credis chriſtum paſſum, crucifixum, mortuum, & ſepultum. Et in Chriſtum propter te paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultū crede. Audi Chriſtum tuum te aduocantem ac dicentem. Sic deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. O ineffabilem dei miſericordiam, quam deus commendat in nobis: quoniam adhuc quum peccatores & impij eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus deo per mortem filij eius. Capiat ergo fiduciam anima chriſtiana, pro qua mortuus eſt Chriſtus filius dei, hoſtia immacuta, ſufficiens ad totius mundi diluenda crimina. Hic eſt agnus ille immaculatus, cuius puriſsimus ſanguis ſubmouit angelum extinctorem. Hic eſt æneus ille ſerpens, quem exaltauit Moſes in deſerto poſitus pro ſigno, ut qui percuſſi ſunt ab ignitis ſerpentibus, & aſpexerint eum, uiuant & ſanentur. Serpens ignitus eſt diabolus, qui humanum genus a deo uiuo per inobedientiam auertens, per concupiſcentiam, omnium malorum radicem, peccare fecit, & peccati chirographum contra nos ſcripſit, quia ut propheta dicit. In peccatis noſtris uenundati ſumus. Pretium enim animæ ſuæ diuenditæ, unuſquiſq; conſequitur, quum concupiſcentiæ ſatisfecerit. Chriſtus ergo non ſuam, ſed patris faciens uoluntatem, aſcendens crucem, deleuit quod aduerſus nos erat chirographum, & affigens illud cruci ſuæ, traduxit principatus & poteſtates, triumphans in ſemetipſo, dans ſubinde hominibus, in ſe crucifixum credentibus, poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem uirtutem inimici.

DEinde pro peccatis noſtris mortuus, & ſepultus eſt Chriſtus, ut & nos peccatis moriamur. An ignoratis (inquit Paulus) fratres quicūq; baptizati ſumus

in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, hoc ſcientes, quia uetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſeruiamus peccato nec regnet peccatũ in noſtro mortali corpore, ut obediamus concupiſceutijs eius. Itidem Petrus Apoſtolus ait: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui quum malediceretur, non maledicebat: quum pateretur, non comminabatur, tradebat autẽ iudicanti ſe iuſte, qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiuamus, cuius liuore ſanati ſumus. Et iterum. Chriſto ergo paſſo in carne, & uos eadem cogitatione armemini, quia qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis, ut iam non deſiderijs hominum, ſed uoluntate dei, quod reliquum eſt uiuat temporis. Iuuet ergo exclamare cum Paulo. Mihi abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Qui enim Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs & concupiſcentijs, qui Paulum commonentem & audiunt & imitantur, dicentem: Mortificate membra ueſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, ac deponentes iram, indignationem, maliciam, blaſphemiam, turpẽ ſermonem de ore ueſtro. non mentientes ſed expoliantes uos ueterem hominem, qui renouatur in agnitionem dei ſecundum imaginem eius, qui creauit illum, Docet deniq; Chriſtus, quam abſolutam obedientiam præſtare erga deum nos oporteat, quemadmodum diuus Paulus exponit: Hoc ſentite in uobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui quum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, factus eſt obediens patri uſque ad mortem, mortem autem crucis. Proponit ergo in eadem cruce nobis exemplum reſiſtendi peccato uſque ad mortem, & libenter interitum ſuſcipiendi, ſi ita res poſtulet pro pietate. Demonſtrauit enim corporis mortem timendam non eſſe, dum ipſe prius pro omnibus dignatus eſt mori, & de morte triumphare. Diabolus promittit ſuæ uoluntatis ſectatoribus uitam temporalem, & momentaneam uoluptatem Chriſtus uero, iuſtitiam uſque ad mortem ſitientibus, uitam æternam. Et hic admodum ſuaue eſt. guſtare & ſentire per mortem & paſſionem Chriſti factum eſſe, ut & afflictiones noſtræ, imo & mors ipſa (modo tamen eas dei reſpectu ac patienter feramus) ipſi deo non tantum gratæ ſint & acceptæ per Chriſtum, ſed et nobis ſalutares, habentes promiſsionem, quoniam ſi compatimur, & cum illo glorificabimur. Non enim condignæ ſunt paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. hæc eſt crux, quam tollere nos iubet Chriſtus, & eam ſequi quã gaudentes ſuſceperũt Apoſtoli & martyres Chriſti, In hac gloriatur Apoſtolus Paulus. ij. Corinth. xi. Hæc qui intelligunt, in omnem fortunam erecti, cum fideli Iob dicunt Dominus dedit, dominus abſtulit, Sicut domino placuit, ita factum eſt, Sit nomen domini benedictum. Nouerunt enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leue tri-

bulationes noſtræ,ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis,non contemplantibus nobis quæ uidentur,ſed quæ non uidentur.Quæ enim uidentur,temporalia ſunt:quæ autem non uidentur,æterna ſunt,Hæc qui ſciunt.ne mortẽ quidem abhorrent,Sciunt enim quod ſiue uiuimus ſiue morimur:domini ſumus.Sciunt quoque quod mors adeo non ſeparat nos a charitate dei,ut & arctius copulet, quod ſit uia,per quam tranſimus a charitate imperfecta ad perfectam,optabilis pijs,ſed horribilis impijs Paulus clamat.Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.Et ſancti patres, mortes piorum,tranſitus ſeu dormitiones immo natales potius uocant quam mortẽ,Chriſti uerbum ſequuti:dicentis,quod qui crediderit in eum,non morietur in æternum,ſed tranſeat a morte ad uitam.Sed alia longe ratio eſt de impiorum morte. nam quemadmodum propheta ait:Mors peccatorum peſſima.

DESCENDIT AD INFEROS.

CRedimus Chriſtum ad inferos deſcendiſſe,non q̃ ibi ſit aliquid paſſus. Nam in cruce omnis paſſionis eius cõſummatio facta eſt,ſed ut nobis frangeret regnum Satanæ.Deſcendit,non ut illic cruciaretur,ſed ut Satanam cum omni potentia, propter quam princeps mundi huius dictus eſt,ſibi & in ſe credentibus ſubijceret ac captiuam duceret captiuitatem.In Chriſto enim uere completa eſt prophetia pſalmi.Nõ derelinques animam meam in inferno.quemadmodum Petrus Apoſtolus de Chriſto prædictum in Actis apoſtolicis interpretatur, Idem in prioris epiſtolæ capite tertio ſcripſit in hunc modum:Mortificatus autem carne,uiuificatus autem ſpiritu, in quo & his qui in carcere erant ſpiritibus ueniens,prædicauit. Huc quoque ſpectat prophetia Oſee:Ero mors tua o mors:morſus tuus ero inferne.Et pie interpretantur,qui ad hunc articulum citant,quod Zacha.ix.ſcribitur:Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti uinctos de lacu,in quo non erat aqua.Et quod Eccle.cap.xxiiij.ſub perſona ſapientiæ dictum legimus:Penetrabo inferiores partes terre, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in domino. Et pleraq; alia, ex pſalmis cum hoc articulo congruentia.

TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS.

IN miſſæ ſymbolo canit eccleſia: Et reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas. Et Paulus Apoſtolus ait: Tradidi uobis in primis quod accepi, quod Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt,& q̃ ſepultus eſt et reſurrexit ſecundũ ſcripturas. Nã triduana mors domini,paſſim et prędicta eſt & præſignata per prophetas. Ionæ enim prophetæ typus quo ſpectet,ipſe dominus indicauit,quum ait ad Iudæos. Generatio hæc generatio nequam eſt,ſignum quærit,& non dabitur ei,niſi ſignum Ionæ ꝓphetæ.Sicut enim Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus,ita oportet eſſe filium hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus,quod p ſynecdochen intelligitur.Porro in Euangelio nihil eſt,quod tam ſæpe inculcet Chriſtus,tam euidenter prędicat,q̃ ſe paſſurum,& tertia die reſurrecturum, ut poſtquam factum eſſet quod prædixerat,inconcuſſa fide teneremus Chriſtum deum & hominem,ut hæc

omnia noſtræ ſalutis cauſa peragerct, de cœlis deſcendiſſe. In paſſione hominem ſe declarauit mortalem, per quam quod infirmum ac fragile erat, abſoluit. In reſurrectione ſe deũ declarauit & immortalẽ. Qui enim deuicta morte reſurgit, nõ poteſt eſſe mortalis. Atq; ita decebat eũ, propter quẽ omnia, & per quẽ omnia, multos filios in gloriã adducentẽ, authorẽ ſalutis eorũ per paſſionẽ conſummari. Reſurrexit ergo Chriſtus pro nobis, ſicut paſſus eſt pro nobis. Primũ, ut eũ quẽ authorẽ ſalutis noſtræ agnoſcimus, in quo omne præſidium incolumitatis noſtræ collocamus, immortalem ſciremus. Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra nõ dominabitur. Deinde, ut nos ſimul cũ illo p pœnitentiã cõmortui peccatis, & p baptiſma conſepulti, ſimul etiã cũ illo, in nouitate uitæ reſurgeremus, ut quomõ Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus, ut excitati per gratiam ac ſpiritũ ipſius, ipſi pie uiuendo, & in mandatis dei ambulando, ſeruiremus. Traditus eſt ergo propter delicta noſtra. et reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtrã. Si ergo cõplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Si mortui ſumus cũ Chriſto, credimus, qa ſimul etiã uiuemus cũ illo. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autẽ uiuit, uiuit deo. Ita & uos exiſtimate, uos mortuos quidẽ eſſe peccato, uiuentes autẽ deo in Chriſto Ieſu, mortificatos legi per corpus Chriſti, ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificetis deo. Fructus autẽ ſpiritus ſunt, charitas, gaudiũ, pax, patientia, lõganimitas, bonitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, aduerſus quæ non eſt lex. Qui enim Chriſti ſunt carnẽ ſuã crucifixerunt cũ uitijs & concupiſcentijs. Et iterũ. Si conſurrexiſtis cũ Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite. Vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, nõ quæ ſup terrã. Mortui enim eſtis, & uita ueſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in deo. Induite ergo uos ſicut electi dei, ſancti & dilecti, uiſcera miſericordiæ, benignitatẽ, humilitatẽ, modeſtiam, ſupportantes inuicem, & donantes uobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & dominus donauit uobis, ita & uos. Super omnia autẽ hæc, charitatẽ habete, quod eſt uinculũ perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus ueſtris, in qua et uocati eſtis in uno corpore, et grati eſtote. Proinde pientiſſima oratio eſt Pauli ad Hebræos. Deus pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnũ ouiũ in ſanguine teſtamenti æterni, dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum, aptet uos in omni bono, ut faciatis uoluntatẽ eius, faciens in uobis quod placeat corã ſe, per Ieſum Chriſtũ. Denique Chriſtus ſurrexit primitiæ dormientiũ, ut nobis certã ſpem reſurrectiõis faceret. Ipſe eſt enim caput corporis eccleſiæ, qui eſt principiũ, primogenitus ex mortuis. Qui autẽ primus eſt, ſolus eſſe non poteſt, neq; caput deſeret ſua membra. Si enim (ut diuus Paulus colligit) Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.

ASCENDIT AD COELOS, SEDET A DEXTERAM PATRIS.

COnſummatis his, quæ in terra gerebantur, & animabus de inferni captiuitate reuocatis, breuiter cõſummato redemptionis myſterio Chriſtus aſcendit in cœlum. non ſecundum deitatem, qua ſemper æqualis eſt patri, qua ubiq; eſt, & qua nuſq̃ deeſt, ſed ſecundũ hominẽ aſſumptum, gloria & honore coronatũ, ſubiectis ſibi omnibus, & quæ in cœlo & quæ in terra. Aſcendit uero ut propheta, & prophetã explicans. Paulus ait. Captiuã ducens captiuitatem, corporis aſpectum ſubducens diſcipulis, & animos illorum ad cœleſtia ſubuehens, promittens dona ſpiritus ex alto. Aſcendit autem poſt quadraginta dies a reſurrectiõe, intra quos ſeipſum diſcipulis ſuis uiuũ præbuit in multis argumentis apparens eis, loquens de regno dei.

SEdet ad dexteram dei patris omnipotentis. Seſſio iſta non eſt accipienda humano ſenſu, tanquã pater ad ſiniſtram, filius ad dexteram ſedeat, ſed per dexteram intelligenda eſt honoris æqualitas, regni conſortium, & poteſtas, qua conſtitutus eſt Chriſtus ſuper omnes creaturas, & quæ in cœlo, & quæ in terra, & quæ apud inferos ſunt. Sicut Paulus Epheſiis ſcribit. Secundum operationem potentiæ uirtutis eius quã operatus eſt in Chriſto Ieſu, conſtituens eum ad dexterã ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem principatum & poteſtatem & uirtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed & in futuro. Sic Stephanus legitur uidiſſe cœlos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris uirtutis dei. Et ipſe Chriſti ſic futurum dixit. Verũtamen dico uobis, amodo uidebitis filiũ hominis ſedentem a dextris uirtutis dei. Sedet qui ſine ſolicitudine gubernat uniuerſa, ſtat paratus ad opitulandũ omnibus ipſum implorantibus. Sicut Paulus dicit. Habemus aduocatum in cœlis. Secundum ergo hanc uirtutem de cordibus fidelium nunquam diſcedit, nunquã ſuos derelinquit, ſed ſemper potens eſt nos eripere de omnibus tribulationibus, anguſtijs ac hoſtibus noſtris, quemadmodũ pollicitus eſt nobis, dicens, Et ecce ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi.

AScendit Chriſtus propter nos, ut omnes illum ſpiritualiter amaremus, & ex æquo omnis animos in cœlum tolleremus, ſcientes illic eſſe caput noſtrũ. Aſcendit Chriſtus pro nobis præcurſor factus, pandens iter, & ſecuros nos de ſe reddens, ut fideliter ſperemus ad ipſum nos poſſe peruenire, quem credimus ad dexterã patris ſedere, quẽadmodũ Paulus apoſtolus dicit, Habẽtes ergo põtificẽ magnũ q penetrauit cœlos, Ieſum filiũ dei, teneamus ſpei noſtræ confeſſionẽ. Aſcendit caput noſtrũ in cœlũ, ut nos mẽbra ſua ſecũ in cœlũ ſubleuaret, alioqui nunq̃ aſcẽſuros. Nemo.n. aſcẽdit in cœlũ, niſi q deſcẽdit de cœlo, filius hominis, q eſt in cœlo. Vis ergo aſcẽdere in cœlũ aſcẽdentẽ tene. etenim p teipſum leuari nõ poteris. Vis aſcẽdere, membrũ illius eſto, qui ſolus aſcendit. Qui ſimul cõſuſcitauit nos, ſimulq; ſedere fecit in cœleſtibus.

VIdes quantum Chriſto debeas, ut te a ſeruitute diaboli redimeret, factus eſt homo, Et ut certus de liberatione tua eſſes, tradidit ſe in mortem, animam ſuam pro te poſuit, teq; pretioſo ſanguine ſuo coemit, ut nouitatem uitæ reſurgeres, ut certa fiducia crederes te in die illo extremo eodem quod geſtas, ſed glorificato

corpore, reuicturũ, ipſe primus a mortuis reſurrexit, ut ſcires ubi petenda fœlicitas, ut hoc mundo non aliter quam peregrinus ac in tranſitu utereris, aliam inquirens patriam, omnemq; curam ad illam cœleſtem æternamq; uitam transferres, ſubuehendus tandem in terram uiuentium, ipſe primus aſcendit in cœlum, ut non timeres uel a mundo, uel a morte, uel a diabolo, ſedet ad dexterã uirtutis dei, paratus miſereri tibi. Ideo enim ut Paulus ait: Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret & fidelis pontifex ad deum, & ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo paſſus eſt, ipſe & tentatus, potens eſt eis qui tentantur, auxiliari. Quid facies igitur o homo, q̃ tanta Chriſti erga te beneficia uides? Exclama cum propheta: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et ſi non habes quod retribuas, accipe ab eo quod illi offeras. Et dic cum propheta: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen dñi inuocabo.

INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS ET MORTVOS.

SYmbolũ apoſtolicũ duos Chriſti aduentus cõmemorat. Alterũ, quo deſcendens de cœlis, humilis uenit, ut p mortẽ & ſanguinẽ ſuũ captiuos redimeret, pditos repararet ac ſeruaret, de quo dictum eſt prius. Alterum quo ueniet conuenientisſimo tempore ac die, quem nobis ignotum eſſe uoluit in gloria patris, iudicaturus uiuos & mortuos. Quos ambos aduentus in ſcripturis caute diſtinguere neceſſarium eſt. Rediturus eſt autem in ea forma qua aſcendit, atteſtantibus idipſum quum aſcenderet, angelis, ac dicentibus: Viri Galilei, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic eſt Ieſus, qui aſſumptus eſt a uobis in cœlum, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum, Humana quidem ſpecie conſpicuus, ſed iam immortalitatis gloria refulgens.

IVdicabit autem uiuos & mortuos, ideſt, feret ſententiam, & de uiuis, qui tum adhuc in aduentu ſuo ſupererunt, & de mortuis, nimirum omnibus, quotquot ab Adã uſque in eum diem defuncti erunt, tum ſubito reuicturis, quemadmodum diuus Paulus ait: Quod nos qui uiuimus, qui reſidui ſumus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Oportet enim nos omnes ſiſti ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria operis ſui, prout gesſit, ſiue bona, ſiue mala. Pater enim omne iudicium dedit filio. Nec tantum homines, ſed & angeli boni, ac dæmones impij coram eo ſiſtentur, Ieſumq; præſentem intuebuntur, pij ad ſolatium, impij ad terrorem. Qui hic iniuſte pro nobis iudicari condemnarique ſuſtinuit, illic iudicabit orbem uniuerſum, redditurus cuique ſecundum opera ſua. Et hæc forma iudicij, quum uenerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tum ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris. Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, posſidete paratum uobis regnum a conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manduca-

re:ſitiui,& dediſtis mihi bibere:hoſpes eram,& collegiſtis me:nudus, & operuiſtis me:infirmus,& uiſitaſtis me:in carcere eram,& ueniſtis ad me. Et quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis,mihi feciſtis. Tunc & rex his qui a ſiniſtris eius erunt dicet:Diſcedite a me maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim,& non dediſtis mihi manducare:ſitiui, & non dediſtis mihi potum:hoſpes eram et non collegiſtis me:nudus,& non operuiſtis me:infirmus,& in carcere eram,& non uiſitaſtis me. Et quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Quæ uerba diligenter recolenda ſunt,quibus doceetur Chriſtianus,ſe ex fide illa mortua,quam nulla comitantur fidei & dilectionis opera, haud ſaluandum. Quin adeo charitatis ac miſericordiæ opera(ſine quibus nemo uere fidelis ſeu Chriſtianus cenſeri poteſt)requiri,ut de cæteris pene omnibus ſileatur. Qui enim dilectionem habet,omnia habet. Plenitudo enim legis,dilectio eſt. Et finis præcepti, charitas eſt,de corde puro,conſcientia bona,& fide non ficta. Nam etſi quiſque per fidē abſq; meritis proprijs ex impio fiat iuſtus. Interim tamen manifeſtum eſt,fidem ſine operibus fidei non prodeſſe ad ſalutem, in eo qui tempus habet operandi.

CAeterum totum hoc iudicium non humano more,ſed in momento punctoq; temporis geretur,& tamen uerisſime geretur. Nec enim opus eſt moroſa diſcusſione,quando patebunt omnia cordium arcana,quando ſua quēq; damnabit conſcientia, ſicut Apoſtolus ait:Teſtimonium illius reddente conſcientia ipſorum,ac inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus,aut etiam defendentibus,in die,quum iudicabit deus occulta hominum Corpora quoq; tunc ad immortalitatem immutata, non occupabunt (quemadmodum nunc)ſpacium loci,iuxta triplicem dimenſionem,longi,lati, & profundi,ut nemo demirari debeat,ubi ſiſtendi ſint omnes homines,qui tot annorum milibus ab orbe condito fuerunt,& tamen erunt uerisſime eadem corpora, quemadmodum circa articulum Reſurrectionis mortuorum latius dicetur. Quod autem ſcriptura ita loquitur,perinde atq; humano more iudicium hoc extremum peragendum ſit, more ſuo facit,attemperans ſermonem ad humanū captū,obſecundās tarditati noſtræ.

CRedimus autem Chriſtum propter nos uenturum iudicare uiuos & mortuos,ut pios a corporali morte ac alijs omnibus anguſtijs liberatos,in regnum ſuum cœleſte,ubi perpetuo cum eo erimus,ſubuehat. Impios uero debitis pœnis afficiat,quemadmodum ipſe dixit:Et ibunt hi,nimirum impij,in ignem æternum. Iuſti autem in uitā æternam. Itidem beatisſimus Apoſtolus ait:Qui reddit unicuiq; ſecundum opera ſua, his quidem qui ſecundum patientiam boni operis,gloriam & honorem et incorruptionem quærentibus uitam æternam. His autem qui ſunt ex contentione,& qui non acquieſcunt ueritati,credunt autem iniquitati,ira & indignatio,tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum,Iudei primum & Greci. Nō enim eſt perſonarum acceptio apud deum. Proindeq; omnes pij hunc aduentum cum ſummo deſiderio morantur,expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti,ſemper orantes,ut deus pacis ſanctificet eos per omnia, ut integer

ſpiritus eorum & anima et corpus ſine querela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruetur, ſcientes quia fidelis eſt qui uocauit eos, qui etiã faciet. Diligentibus enim aduentũ eius, magna repromittitur beatitudo, quemadmodũ Pauli teſtimonio cõprobatur: De cætero (inquit) repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi dominus iuſtus iudex in illa die, nõ ſolum autem mihi, ſed & his, qui diligunt aduentum domini.

VOluit autem, dominus hunc diem aduentus ſui nobis eſſe ignotum, ad excitandũ nos, quo ſemper in officio & ea, qua uocati ſumus uocatiõe, parati inueniamur. Proindeq; apud Marcũ dominus ita Euangelium ſuum claudit, Videte, & uigilate, et orate. neſcitis enim quando tempus ſit. ſicut homo qui peregre profectus, reliquit domum ſuam & dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſque operis, & ianitori precepit, ut uigilet: Vigilate ergo neſcitis enim quando dominus domus ueniat, ſero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne quum uenerit repente, inueniat uos dormientes. Quod autẽ uobis dico, omnibus dico. Vigilate. Vigilemus ergo, & oremus, quia breuis & incerta iſta uita, & neſcimus tempus, quando uenturus eſt dominus.

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM.

SVbſequitur tertia ſymboli pars, quæ Spiritui ſancto tribuitur. in primis declarans eius diuinam naturam, quam habet cum patre, filioq; communem, ſalua diſtinctione proprietatis perſonarum, ſubinde dilucide exprimens, quæ ſit per Spiritum ſanctũ in Chriſti corpore, quod eſt eccleſia, gubernatio.

SPiritus interdum pro flatu ſpiritus aerei accipitur, re inconſtanti, uolubili & inſtabili, ſecundum quam appellationem non oportet aliquid ſimile imaginari de Spiritu ſancto. Sed frequentius in ſcripturis, generali uocabulo, ſpiritus dicitur, quicquid incorporeum eſt. Sic in Euangelio dicitur: Spiritus eſt deus, quod omnibus perſonis iuxta diuinã naturam commune eſt. Sic & angeli Spiritus dicuntur, ſic & animus hominis ſpiritus appellatur, ſed ratione incomparabiliter craſſiore. Peculiari autẽ appellatione in ſcripturis ſanctis, tertia in diuinis perſona. Spiritus ſanctus nuncupatur: CREDO. &c. In exordio noſtræ expoſitionis diximus, ſummam apoſtolici ſymboli tribus uerbis contineri, nimirum, Credo in deum. Cætera enim quæ ſequuntur, tres unius eiuſdemq; deitatis perſonas, perſonarumq; proprietates exponunt. quare ſi ſolius diuinitatis ratio habeatur, unico contextu dicemus, Credo in deum patrem, filiũ, & Spiritum ſanctum, quemadmodum Athanaſius in ſuo ſymbolo docet, fidem hanc eẽ catholicam, ut unum deum in trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur. In qua nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales. Illa ergo omnia, quæ de Chriſto, poſt articulum. Et in Ieſum Chriſtum filium eius, unicum dominum noſtrum, media intercedunt, ad incarnationis & paſſionis eius myſterium pertinent. In quibus tamen, de ſpiritu ſancto, non ſiletur, Sed ut una eadẽq; in trinitate diuinitas doceatur, ſubnectitur tertia ſymboli pars, qua principio dicimus.

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM, Diligenter enim hic retinen

da eſt præpoſitio, IN, quæ manifeſte declarat Spiritum ſanctum deum eſſe patri filioq; coæqualem. Nam in quas perſonas pariter creditur: eaſdem neceſſe eſt coæquales, atque unum deum eſſe. Nemo enim in creaturam ullam credit, hoc eſt, ſummam fiduciam collocat, ſed in unico ſoloq; deo, ſicut ſcriptum eſt: Audi Iſrael, dominus deus tuus unus eſt. Interrogati ergo de patre, an pater deus ſit? Reſpondemus, deus eſt. Interrogati de filio, eodem modo, quia deus eſt interrogati deniq; de Spiritu ſancto, pariter dicimus, quia deus eſt. Non tamen tres dij, ſed unus eſt deus, de quo meminit ſcriptura: Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Quanquam autem omnium uerisſimum ſit, in rebus creatis, nullam reperiri poſſe conuenientem ſimilitudinem, per quam uel tenuiter hæc trinitas perſonarum in unitate deitatis intelligi posſit. Quæ enim ratio, aut quæ ſimilitudo incomprehenſibili & ineffabili deo comparari poteſt? quemadmodum quoque ſupra meminimus Tamen, cum uenia diuinæ maieſtatis, Sequuti diuum Auguſtinum, ad iuuandam infirmitatem noſtram, aliquam afferemus ſimilitudinem, in ea re creata, in qua deus noſter, in ſcripturis apparuiſſe dicitur, nempe igni. In igne tria conſpicimus, lumen ignis, ſplendorem, & calorem, & quum ſint tria, unum lumen eſt, ſimul exurgunt, ſimulq; conſiſtunt, nec ignis præcedit ſplendorem, nec ſplendor calorem, & hæc non confuſe unum ſunt, ſimul operantur, & inſeparabiliter operantur, aliud igni tribuitur, aliud ſplendori, aliud calori. Nam quum ad ignem refers uiſionem, ibi operatur, & ſplendor, & calor, & quum ad ſplendorem refers illuminationem, ſimul operatur & ignis & calor: & quum ad calorem refers calefactionem, ſimul operatur ignis & calor & ſplendor. Ita quum dicitur, q deus fecerit mundum, intelligimus patrem, ex quo omnia, per filium, per quem omnia, in Spiritu ſancto, in quo omnia, mundum condidiſſe. Et quum dicimus, filium pro nobis incarnatum & paſſum, intelligimus incarnationem & pasſionem filij, operatum fuiſſe & patrem & filium & ſpiritum ſanctum: quemadmodum ſuperius quoq; meminimus. Et quum peccatorum remisſio tribuitur Spiritui ſancto, intelligimus totam trinitatem hoc donum inſeparabiliter operari. Hoc ob omnino rudes dixerimus. Nam illud myſterium, quod eſt ineffabile & incomprehenſibile, nec uerbis angelicis explicari poteſt, quanto minus humanis? propterea temere nihil de inuiſibilibus affirmemus tanquam ſcientes, ſed tanquam credentes, quoniam non niſi mundo corde uideri poſſunt, Idq; non aliter in hac uita quàm ex parte tantum & in ænigmate.

Simpliciter ergo credenda eſt hæc perſonarum æqualitas. Nam quid eo manifeſtius? quod ſaluator in Euangelio ait: Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, Hic enim tres perſonas recenſet, quibus tribuit patrem potentiam, uirtutem & honorem remisſionis peccatorum, & regenerationis noſtræ, per baptiſmum. Et ut euidentius ſymbolum, quod in miſſa canitur, æqualitatem ſpiritus ſancti in diuinitate cum cæteris perſonis indicaret, addidit quaſdam uoces de ſpiritu ſancto, appellans illum dominum, & uiuificantem, qui ex patre filioq; procedat, qui cum

patre & filio ſimul adoretur & conglorificetur, qui loquutus ſit per prophetas.

SPIRITVM SANCTVM, *Sanctum appellauit, quia unicus eſt ſpiritus, natura ſanctus, ex ſe omnia ſanctificans, quæ ſancta ſunt, appellatus propterea a Paulo Spiritus ſanctificationis, Angelorum quidem & hominum piorum ſpiritus. Sancti quoque dicuntur, at non ſanctificantes, ſed ſanctificati per ſpiritum creatorem. Sanctus quoq; ſpiritus nuncupatur, ad diſcretionem aliorum ſpirituum. Nam in ſcripturis legimus, Sauli fuiſſe ſpiritum a domino malum, & ſpiritum mendacem in ore prophetarum, Spiritum uertiginis, ſpiritum phytonicum, ſpiritum fornicationis ſpiritum nequam, ſpiritum immundum, ſpiritum huius mundi, ſpiritum Satanæ, ſpiritum tumidum & elatum. His omnibus Spiritus ſanctus contrarius eſt, eijciens eos. Nā diſpellit omnem maliciam, pro ferocibus mites reddit, deducit in omnem ueritatem, reuelat ſcripturarum myſteria, per fidem purificat corda, largitur ueram charitatem, quæ non cogitat malum, nec operatur perperam, inſpirat huius mundi contemptum, eximit ab omni conſortio Satanæ, & ſubiectos reddit deo, quia ſpiritus dei eſt, & ſpiritus Chriſti, a patre filioq; procedens. A patre quidem, atteſtante ſcriptura. Qui (inquit Chriſtus) a patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et iterum. Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. A filio uero, quum Euangelium dicat, Quod filius poſt reſurrectionem mittens diſcipulos ſuos, predicare Euangelium, inſufflauit in faciem ipſorum & dixit, Accipite ſpiritum ſanctum. Et Apoſtolus ait. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.*

H*Abet autem Spiritus ſanctus in ſcripturis diuerſa nomina, ſecundum diuerſas operationes. Digitus dei dicitur, in quo Chriſtus eijciebat dæmonia. Spiritus paracletus, ideſt conſolator, qui confirmat & conſolator, qui confirmat & conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ſeu aduocatus. Ipſe enim poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ideſt, ad poſtulandum nos incitat & impellit, Spiritus rectus, q. deducat nos in uiam rectam a terrenis affectibus, quibus inambulamus, nos purgans, & ad cœleſtia ſubuehens, a circuitu, in quo impij ambulant, reuocans, & in uiam rectā mandatorum domini reducens. Spiritus principalis, q. confirmet nos, ut nullis perturbationibus a Chriſto ſeparari ualeamus, nullis terroribus recedere, nullis cruciatibus infirmari. Spiritus bonus, quem dat deus petentibus eum, diffundens charitatem in cordibus noſtris. Spiritus adoptionis filiorum dei, in quo clamamus. Abba pater. Tribuitur autem in primis Spiritui ſancto bonitas, quoniam per ipſum fit remiſſio peccatorū & largitio donorum, quibus ornat animam abolitis peccatis. Itidem charitas, quia per ignem amoris ſui congregantur & conglutinantur fideles, ſicut membra corporis noſtri cohærent integra, beneficia animi, ſeu ſpiritus noſtri.*

C*Redimus ergo in Spiritum ſanctum deum, cum patre & filio Credimus q. in illo pater per Chriſtum, & in Chriſto omnia operatur, omniaq; uiuificat ac fouet. Credimus q. hoc ducente & gubernante, per filium ueniemus ad patrem, q. per hunc a deo patre cum filio agitemur, excitemur, uocemur, ac trahamur. Credimus q. ille per*

eam

eam fidem, quæ in Chriſtum eſt, donetur, quòd per eum inhabitantem, efficimur templum dei, ſicut dicit ſanctus Paulus. Templum enim dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Et iterum. Neſcitis quia corpora ueſtra templũ ſunt Spiritus ſancti, qui in uobis eſt, quẽ habetis a deo Credimus, ꝙ hic eſt, qui conſcientias noſtras reas arguit de peccato. Cui enim dubium eſt, alium ſpiritum ſpiritui noſtro in iniquitate frigido, tum aduenisſe, cũ feruore accenditur pœnitentiæ? Neq; enim qui lethali crimine occubuit, ſeipſum rurſum accendere poteſt, ut ad deum ſuum reuertatur, niſi accedat alius, hoc eſt, dei Spiritus. ipſum diiudicans. Credimus, ꝙ hic Spiritus mortificet in nobis carnales concupiſcentias, ꝙ extinguat opera carnis, ꝙ motus in nobis excitet, & fructus gignat ſpirituales. Eſt itaq; certiſſimũ pignus uocationis noſtræ, quoniã quum ſentimus opera eius in nobis, ideſt conuerſionem animarũ noſtrarũ ad deum uiuentem, & cætera quæ diximus, ipſe Spiritus, reddit teſtimoniũ ſpiritui noſtro, ꝙ ſumus filij dei. Si aũt filij, & hæredes, hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Quo imbuti, cum fiducia clamamus. Abba pater. Nam qui hoc ſpiritu uacant, mundano ſpiritu imbuti, falſo dicunt Chriſto. Domine domine, quia hoc Spiritu carent, non facientes uoluntatem patris, nec fructus ſpiritus. proindeq; ſecundum Ioannis teſtimonium, nemo Ieſum appellat dominum, niſi in Spiritu ſancto. Dominum enim Ieſum appellare non poteſt quiſq̃, qui ſe illi totum non committit & ſubdit, quod fit Spiritu ſancto docente. Ergo fratres (ut diuus Paulus inquit) debitores ſumus, non carni, ut ſecundum carnem uiuamus. Si enim ſecundum carnem uixeritis, moriemini. Si autẽ ſpiritu, facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicunq; enim ſpiritu dei aguntur, hi ſunt filij dei.

NOlo tamen, ut intelligas hanc motionem animi tui, eſſe ipſum ſpiritum ſanctum, etſi in ſcripturis interdum ſic nominetur, nimirum ꝙ ſit gratia & opus Spiritus ſancti ab eo proficiſcens, quæ non ſubſtantia, ſed accidens in nobis eſt. Ad eum modum orat Paulus, ut hic ſpiritus integer pſeueret in nobis, hoc eſt, Spiritus ſancti gratia. Atq; huius gratiæ reſpectu, quam operatur Spiritus ſanctus in cordibus fidelium, homo ex corpore, animo, & Spiritu humano compoſitus, ſæpenumero caro, carnalis ſeu animalis apud Paulum appellatur, quod quicunq; ex ſpiritu ſancto non fuerit renatus, mentem, rationem & uoluntatem carnalibus deſiderijs, ita obſitam teneat, ut regnum dei uidere non poſſit.

SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM.

HIc ſermonis uis mutatur. omittitur enim præpoſitio. IN. Non enim dicit ſymbolum, Credo in ſanctam eccleſiam, et cætera quæ ſequuntur, ſicut ſuperius dixit. Credo in deum patrem, Et in Ieſum Chriſtum filium eius unicum, & in Spiritum ſanctum, Sed tantum, Credo ſanctam eccleſiam catholicam. i. credo eccleſiam a deo congregatam eſſe, non in ſanctam eccleſiam, ut in deum. Hac ergo præpoſitionis ſyllaba, creator ſecernitur a creaturis, & diuina ſeparantur ab humanis.

SANCTAM ECCLESIAM. Proximo articulo didicimus ſpiritum omnia ſanctificantem, hic eccleſiam audimus ab illo ſanctificatam. Eccleſia græca uox eſt. ab

ecchalin, quod eſt euocare. Vnde eccleſia quaſi euocata concio. Fides enim (ut ait Paulus) ex auditu eſt, auditus autem per uerbum Chriſti. Qui ergo per uerbum Chriſti euocati ſunt a ſimulachris mortuis ad deum uiuum, ab ignorantiæ tenebris ad lucem Chriſtianæ ueritatis, & obtemperarunt, eccleſia Chriſti dicuntur. Eccleſia autem duplex eſt, militans & triumphans. utranq; complectitur hic articulus. Triumphans eſt cœtus ille beatarum animarum cum Chriſto regnantium, qui & de mundo & diabolo triumphauit, & regnat cum Chriſto ſecurus in æternum, quem Apocalypſis deſcribit. Hi (inquit) ſunt qui uenerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerunt eas in ſanguine agni, & ideo ſunt ante thronum dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos, non eſurient, neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol neq; ullus æſtus, quoniam agnus qui in medio throni eſt reget illos, & deducet eos ad fontes aquarum, et abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Vt ad Eccleſiam militantem ueniamus, hæc bifariam conſideratur. Primum ſtrictius, quatenus dicimus eos eẽ in Eccleſia, qui ita ſunt in domo dei, ut et ipſi ſint domus dei, ſeu templum Spiritusſancti, qui conſtituunt urbem illam beatam Hieruſalẽ de cœlo deſcendentem, a deo paratam, constructam uiuis ex lapidibus, de quibus dixit Apoſtolus. Multi unum corpus ſumus in Chriſto Ieſu, quos & alibi uocat populum emundatum ab omni iniquitate, acceptabilem deo, ſectatorem bonorum operum, Eccleſia uero eatenus accepta ſoli deo nota eſt, quemadmodum idem Apoſtolus ait. Cognouit dominus qui ſunt eius. Verum ad eum modum non oportet accipere Eccleſiæ uocabulum, ubi uel Chriſtus de audienda Eccleſia precipit, uel Patres poſt Apoſtolos de authoritate Eccleſiæ diſſerunt. hanc enim quæ audienda eſt, & cuius authoritas ſequenda, nobis cognobilem atq; adeo uiſibilem eſſe oportet. Secundo ergo Eccleſia conſyderatur, ut complectitur omnes qui habent cõmunionem profeſſionis fidei, doctrinæ, & ſacramentorũ ſecundũ catholicã & apoſtolicam traditionẽ. Ad hunc modum, nimirum quod ad eam ſocietatem attinet, tã boni q̃ mali, per quandã colligantiã eiuſcemodi profeſſionis ac exterioris participationis ſacramentorũ, ſunt in Eccleſia dei, mali tamen non ſecus, quã palea eſt in frumento. Et quemadmodũ humano corpori, plerunq; adhærent membra. aut mortua, aut arida, aut putrida, aut languida, quæ nonnunquàm reſecanda ueniunt, ne cætera membra horum contagione inficiantur. interdum tolleranda, ne forte, ſi abſcindantur, totum corpus in periculum ueniat, quæ etſi membris uiuis in uitali ſpiritu non cõmunicent, colligantia tamen quadam uiuis adhærent, proindeq; adhuc corporis membra dicuntur & corporis eſſe partes. Ita de Eccleſia, ad hunc modũ accepta ſentiendũ eſt, ut ſit populus in unam profeſſionem fidei, & communionem ſacramentorũ uocatus, cohærens ſaltẽ ſecundũ unitatẽ profeſſionis, & uiſibilẽ quandã Chriſtianæ fidei formã. In quo cœtu & bonos & malos dicimus eſſe permiſtos, qui etſi non ſint colligati omnes unitate ſpiritus, & uinculo charitatis, colligati tamen ſunt ſecundum unionem, unius ſignaculi fidei, & corporaliter coniuncti, ſecun-

dum uiſibilia pietatis ſacramēta. quāuis nonnulli inter eos ſint impij, peccatores, auari, fornicatores, & id genus homines, ſecundum exteriorem fidei, profeſsionem, formam quidem pietatis habentes, uirtutem tamen eius abnegantes.

AD hunc modum accipientes eccleſiam, excludimus ab ea tum excommunicatos, tum hæreticos. ſchiſmaticos item & paganos. Excommunicatos quidem, q̃ publico eccleſiæ iudicio, ab exteriori eccleſiæ conſortio, donec reſipiſcant, ſeparati ſint. Hæreticos aūt et ſchiſmaticos, quod ſua ſponte de eccleſia exierint, deſeruerintq; eandem & contemnentes, & proſcindentes, & perſequentes. Paganos uero, quod eccleſiam, ueluti in qua nec ſint nec unquam fuerint, nulla ex parte agnoſcant, ſecundum nullam, ne exteriorem quidem & uiſibilem formam religiouis & ſacramentorum, eccleſiæ unq̃ adſcripti ſeu coagulati. Nec dubium eſt, magnum diſcrimen eſſe inter hos, quos a conſortio eccleſiæ penitus ſecludimus, et illos quos certa ratione uti membra, licet inutilia, ab eccleſiæ unione non repellimus. Nam gentes, itidem manifeſtos hæreticos, ſchiſmaticos & excommunicatos, quāuis eccleſiæ membris cohabitent, & ſecundum exteriorem politiam cum eccleſiæ membris conuerſentur, nemo tamē eos eccleſiæ membra dixerit, quod ſecus eſt in Chriſtianis, quāuis publice peccantibus, ab eccleſiæ tamen conſortio nondum reſecatis, ſcripturis id apertiſsime docentibus, Paulus Apoſtolus ad Corinthiorum eccleſiam ſcribens, culpat ipſos, quod audiretur inter eos fornicatio talis, qualis nec inter gentes. Et ſtatim apertum diſcrimen facit inter fornicarios & ſceleratos fratres, ac fornicarios ac ſceleratos huius mundi, quod illos uti membra contagioſa tolli ac ſegregari, & ut fermentum malitiæ ac nequitiæ, commiſtum maſſæ, expurgari iubeat, donec reſipuerint, quemadmodum ipſe illic inceſtum fratrem excommunicat ac Satanæ in interitum carnis tradit, ut ſpiritus eius ſaluus fiat in die domini, non tolleret autem, nec ſegregaret, niſi eum intus in eccleſia fuiſſe fateretur. At hos, nempe fornicarios ac ſceleratos huius mundi, ibidem penitus foris eſſe dicit, & eos ad ſuum iudicium non pertinere. Quid enim mihi (inquit) de his qui foris ſunt iudicare? Nonne de his qui intus ſunt uos iudicatis? nam eos qui foris ſunt, deus iudicabit. Auferte ergo (ut ſubdit) malum ex uobiſipſis. Hæretici ergo ac ſchiſmatici manifeſti, non intus, ſed foris eſſe dicuntur, ut qui ſecundum uerbum Apoſtoli receſſerint & non permanſerint in doctrina Chriſti, qui ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utiq; nobiſcum, quibus ne uel aue dicamus, uel hoſpitium præbeamus, idem Apoſtolus uetat, ac Paulus hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem deuitari præcipit, quod ſubuerſus ſit qui eiuſmodi eſt, & delinquat, quum ſit proprio iudicio condemnatus. Quod ſi (ut omnes ſolent Hæretici) ſe eccleſiæ membrum eſſe ſimulet, ſtatim ut innotuerit, de eccleſia exiiſſe, ac palmitem are factum eſſe, eccleſiaſtico ſarcullo reſcindendus eſt, ne uiti officiat.

ET ne quis hoc diſcrimen uanum eēputet, ſed intelligat Chriſtianos, uitæ licet nō ſatis inculpatæ carnaliter uiuentes, atq; adeo lethalibus criminibus contamina-

tos(modo tamen pacem integram tum quod ad fidei profeßionem ac doctrinam, tum quod ad ſacramentorum participationem attinet, cum membris uiuis retineāt) ad prædictum modum in eccleſia eſſe. Chriſtus eccleſiam ſuam, aream uocat, quæ continet & paleam & triticum, Sementem quoq; ſeminatum in agro, in quo quum ſuperſeminatur lolium, ſuccreſcunt ſimul zizania & triticum. Sagenam item in mare miſſam, atq; ex omni genere piſcium congregantem, maloſq; piſces ſimul cū bonis permiſtos habentē, Itidem uineam, in qua ſunt palmites, non tantum uuās, ſed et labruſcas facientes. Regnum etiam celorum appellat eccleſiam, quod confert decem uirginibus, quinq; prudentibus, & quinq; fatuis. Deniq;, quemadmodum in arca Noe animalia munda erāt ſimul cum immundis. Ita & in eccleſia, quandiu in hoc mundi pelago iactatur, bonos habebimus & malos.

HAec autem noſſe oportet omnem Chriſtianum ne exiſtimet eccleſiā propter malorum permiſtionem deſerendam, & aliam quærendam. Verum in omnibus (uti Augnſtinus ait) tenenda eſt beatisſimi Cypriani pleniſſima charitatis pietatiſq; ſententia, dicentis. Quanq̄ in eccleſia uideamus eſſe zizania, non tamen debet perturbari aut fides, aut charitas noſtra, neq; de eccleſia recedere debemus ob id, q zizania in eccleſia eſſe cernimus. quin potius ubi uidemus eccleſiam opprimi per impios, hic fidei articulus, quem tractamus, nos confirmabit, ne deſperemus, ſed ſciamus eccleſiā eſſe permanſuram, & nauiculam iactandam quidem, ſed non ſubmergendam.

SEcundo, ut intelligamus non extenuandā eccleſiæ authoritatē, multo minus ab eccleſia recedendum ob id, q interdum cathedram occupent Pontifices uitæ non ſatis inculpatæ, aut q in eccleſia præſidere conſpiciamus criminoſos, modo tamen per legitimam ordinationem ius & poteſtatem miniſterij acceperint, & in cōmunione permanſerint. Siquidem eum, qui ſemetipſum conſtituerit Epiſcopum, nemini ſuccedens, nemine legitima ordinatione epiſcopatum dante, quantumlibet ſub ſe congreget multitudinem populi, & dicat ſe ſeruare ac docere quattuor dei Euangelia, apoſtolicam ſcripturam, & fidem & charitatem cum cæteris eccleſijs, non poſſe tamen eccleſiæ membrum eſſe, palam eſt. Eccleſiæ ergo ordinem authoritatemq; ob malos tantummodo mores miniſtrorum labefactare, plane ſchiſmaticum eſt. Nam etſi tales eccleſiæ miniſtri, uitam ducentes improbatam, ſpiritu careant. quo ipſi ſancti ſint & iuſti. Quamdiu tamen eccleſiæ membra ſunt, & ab eccleſia tolerantur Spiritum ſanctum, qui Chriſti & eccleſiæ miniſterijs, quæ per eos aguntur, aßiſtit, habent, per quem in eccleſia peccata remittunt, ac ſacramenta efficaciter imptiuntur. Neq; enim ideo non ſunt efficacia ſacramenta, quia per malos tractantur. Omnia enim ſacramenta, licet indigne tractantibus obſint, proſunt tamen per eos digne ſumentibus. In miniſtris enim, quatenus miniſtri ſunt, non attendimus meritorum diuerſitatem, ſed tantum uirtutem ac poteſtatem eius, cuius munere funguntur, Non enim pendent ſacramenta ex dignitate miniſtrorum, ſed ex mandato & ordinatione diuina. Clamat contra Corinthios Paulus, q æſtimarint baptiſmi gratiam a

miniſtris, dicentes. Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Chriſti, quaſi diuiſus eſſet Chriſtus, uel Paulus, uel Apollo pro ipſis crucifixi, aut in nomine Pauli, & non potius Chriſti baptizati eſſent. Proindeq; grauiter arguit eos ut ſchiſmatis reos, dicens. Quum ſit inter uos zelus & contentio, nõne carnales eſtis & ſecundum hominem ambulatis? Quid enim Apollo? quid uero eſt Paulus? Miniſtri eius, cui crediditis. Ego quidem plantaui, Apollo rigauit, ſed qui incrementum dat, deus. Itaq; neq; qui plãtat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat, deus. Hac de re, multæ inſignes in ſcripturis ſententiæ extant. In Euangelio Ioannis legimus Baptiſtæ teſtimonium. Qui (inquit) miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem uideris ſpiritum deſcendentem & manẽtem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Similiter apud cæteros Euangeliſtas. Ego baptizo uos aqua, ille aũt baptizabit uos in ſpiritu ſancto. Docet idem aperta Chriſti ſententia, honorem etiã deferens Iudeorum cathedræ, in qua tamen impij ſedebant. Super cathedram (inquit) Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quecunq; dixerint, facite. Et iterum. Vade & oſtende te ſacerdoti. Itidem alibi. Ite & oſtendite uos ſacerdotibus. Et quid apertius, eo quo ait. Qui uos audit, me audit: qui uos ſpernit, me ſpernit? Vbi miniſterij autoritatem a miniſtris in ſe transfert. Baptizatus ergo ab immundo ſacerdote nihilo ſecius mundatur, non ab immundo, ſed a Chriſto qui intus baptizat in homine, in quem oportet totam ſpem ponere. Maledictus enim, qui confidit in homine.

TErtio, hæc noſſe oportuit, ut ſciamus malos in eccleſia dei præſidentium mores, non tanti æſtimandos, ut nos dubitare faciant, ubi nam ſit eccleſia Chriſti, quod hac tempeſtate multis uſuuenit, qui fluctuant ab omni uento doctrinæ, a nobis recedentes, & in angulum aliquem ſe recipientes, dicere incipiunt. Ecce hic Chriſtus, ecce illic. Sic enim fieri non oportuit. Notas & ſigna habemus longe certisſima, quæ nos de eccleſia, ubinam ſit, dubitare non ſinunt. Principio nemo negat, in eccleſia ſyncerã doctrinam, euangelicam & apoſtolicam eſſe oportere. Et hanc præcipuam eſſe eccleſiæ notam, iuxta illud. Oues meæ uocem meam audiunt, & quod eſt apud Paulum. Si quis prædicauerit aliud euangelium, anathema ſit. Sed hæc nota non ſtatim defendet nos ab hæreticis. Nam & ipſi iactant ſe Chriſtianum habere nomen, & apud ſe ſolos eſſe Chriſti fidem, ſacramenta, & ſcripturas, ſed aut mentiuntur detorquentes ſcripturas, aut grauiter falluntur. Nam & Cyprianus ait. Scripturas ſi ſeruarent, eccleſiam Chriſti cognoſcerent, & in ea permanerẽt. Quærenda eſt enim eccleſia in ſcripturis ſacris, ubi manifeſte cognoſcitur, quibus deſignatur ipſa ab Hieruſalem incipiens creſcere, & inde per apoſtolos diffundi in omnes gentes, ſecundum ſeriem ſucceſſionis, durans adhæc uſq; tempora. Quiſquis ab hac eccleſia catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe laudabiliter uiuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere (quod a Chriſti unitate ſe iunctus eſt) non habebit uitam æternam, ſed ira dei manet ſuper eum. Quiſquis autem, in hac eccleſia bene uixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia communio malorum non maculat aliquem communione ſacramentorum, ſed conſenſus facto-

rū. Hæc eſt ergo ſola religionis Chriſtianæ machina, quæ cunctas hæreſes ſemel abolet. Ipſa inquam concors doctrina, omnium ſanctorum patrum, ſecundum ſuorum temporum ſucceſſiones, concorditer reddentium teſtimonium uerbis Chriſti & Primitiuæ eccleſiæ conſuetudini.

Quod ut paulo euidentius fiat, ex ſcripturis manifeſtum eſt, eccleſiæ colligantiam nō tantum conſtare, aliquorum hominum conſenſu in unam aliquam fidei profeſſionem, ſacramentorumq; communionem, aut in eadem Euangelia, eaſdemq; canonicas ſcripturas, ſed præter hæc, ordo in eccleſia retinendus eſt, ueluti quidam eccleſiæ nexus, nō quem humana præſumptio adinuenit, ſed quem Chriſtus inſtituit, qui in eccleſia ſua omnia ordinatiſſima eſſe uoluit, ſingulaq; membra ſuis officijs defungi, diuidens unicuiq; gratiam, prout uult, proindeq; poſuit ac dedit quoſdam apoſtolos, quoſdam autē prophetas, alios uero Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filij dei in uirum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti. Et cur hoc neceſſarium fuerit, continuo addidit, dicens, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ in nequitia hominum. Officia ergo Chriſtus in eccleſia diſcreuit, non parem membris omnibus tribuens poteſtatem, ſacerdotalem inſtituens functionem, cui annexuit non humanam, ſed plane diuinam poteſtatem, nempe prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, dandi ſpiritum ſanctum, claudendi & aperiendi regnum cœlorum, conficiendi corpus & ſanguinem dominicum, ac cætera ſacramenta eccleſiæ miniſtrandi. Hanc poteſtatē collaturus Chriſtus Apoſtolis, iam renatis ac ſpiritū ſanctum habētibus, poſt reſurrectionem inſufflans dixit. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hanc inſufflationem Auguſtinus ac cæteri patres, peculiarē gratiam ac poteſtatem interpretantur, quæ per traditionem infunditur baptizatis, quum per manus impoſitionem rite ordinantur, de qua dicit Apoſtolus ad Timotheum. Noli negligere gratiam dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuū preſbyteri. Viſibili ergo ordinatione per Chriſtū inſtituta, per Apoſtolos deo facta, & in nos continua ſucceſſionis ſerie deducta, ad retinendam eccleſiæ unitatem quam maxime opus erat.

NAm nunquam ſchiſmaticum fuiſſet finis, niſi Chriſtus non tantum inuiſibili, ſed & uiſibili iuſſione ac ſacramento, Apoſtolos ſuos miſiſſet, dicens. Sicut me miſit uiuens pater, & ego mitto uos. Et iterum. Euntes in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos omnia ſeruare quæcunq; præcepi uobis. Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur, ut Apoſtolus ait? Non enim tuto ulli hominum creditur ſe inuiſibiliter miſſum aut a deo unctum eſſe dicenti. Quum & Paulus Apoſtolus & Barnabas uiſibili ſacramento ſegregandi erant apoſtolica authoritate ad eccleſiaſtica miniſteria. Et Paulus Titum officij commonens ait. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates preſbyteros, ſicut & ego

diſpoſui tibi. Quærenda eſt ergo eccleſia apud eos, apud quos eſt concors doctrina, & legitima epiſcoporũ ſucceſsio, ab apoſtolorum temporibus adhæc uſq; tempora deducta.

QVod patres apertiſsime docent, & inprimis Irenæus uetuſtiſsimus epiſcopus, qui non multo poſt Apoſtolorum tempora floruit, hanc ſententiam paſſim inculcat. Nam lib. iiij. aduerſ. hæreſ. cap. iiij, ſic habet. Agnitio uera (nimirum eccleſiæ) eſt apoſtolorum doctrina, et antiquus eccleſiæ ſtatus, in uniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti, ſecundum ſucceſsiones epiſcoporum, quibus illi eam quæ in uno quoq; loco eſt, eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit uſq; ad nos cuſtodita. Et poſt pauca. Et præcipuum dilectionis munus (ſubaudi, eccleſia habet) qđ eſt precioſius q̃ agnitio, glorioſius autem q̃ prophetia, omnibus autem chariſmatibus ſupereminens, & eiuſdem libri cap. xly. (ubi refert ſe audiſſe presbyterum, qui audierat ab his qui Apoſtolos uiderant) ait. Vbi igitur chariſmata domini ſunt poſita, ibi diſcere oportet ueritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab apoſtolis eccleſiæ ſucceſsio, quod hinc confirmat, quia poſuit deus primo in eccleſia Apoſtolos, &c. Eandem ſententiam lib. iij. cap. i. ij. iij. iiij. & . y. aduerſus hæreticos grauiſsime ac luculentiſsime defendit, uindicans authoritatem & traditionem eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis per ſucceſsionem preſbyterorum cuſtoditur, perueniens uſq; ad nos. Et eiuſdem aſtruens unitatem. Pleniſsima (inquit) eſt hæc oſtenſio, unã & eandẽ uiuificatricem fidem eſſe, quæ in eccleſia ab Apoſtolis uſq; nunc ſit conſeruata, & tradita in ueritate. Et ne quis putaret ſolius fidei ſucceſsionem ſufficere, li. iiij. cap. xliij. ait. His tantum preſbyteris obediendum, qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, qui cum epiſcopatus ſucceſsione, chariſma ueritatis certum ſecundum placitum patris acceperunt. Reliquos qui abſiſtunt a principali ſucceſsione, & quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habendos, uel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, uel quaſi ſcindentes & elatos & ſibi placentes, aut rurſus ut hypocritas queſtus gratia & uanæ gloriæ hoc operantes, qui omnes a ueritate decidunt. Et hæretici quidem (ut ſubdit) alienum ignem offerentes ad altare dei, ideſt, alienas doctrinas, a cœleſti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abiu, & qui exurgunt contra ueritatem, & alios adhortantur aduerſus eccleſiam dei, remanent apud inferos, uoragine terræ abſorpti, quemadmodum qui circa Chore. Datham, & Abiron. Qui autem ſcindunt & ſeparant unitatem eccleſiæ, eandem quam Hieroboam, pœnam percipiunt a deo. Hæc ille. Cui reliqui ſancti patres uno ore omnes aſſentiuntur ac ſubſcribunt. Inprimis autem Tertullianus libro de præſcriptionibus hæreticorum. ubi docet, epiſcopum principalem in unaquaq; eccleſia, habuiſſe authorem, uel Apoſtolum, a quo ius & poteſtatem ſacerdotij acceperit. Itidem Cyprianus paſsim. ex profeſſo uero in epiſtola ad Antonianum: Eos docet eſſe ſchiſmaticos, qui ſe præpoſitos conſtituunt ſine ulla ordinationis lege, qui nemine epiſcopatum dante, epiſcopi ſibi nomen aſſumunt. Cui Hieronymus accedit. Sine chriſmate (inquit) & epiſcopi iuſsione, neq; preſbyter neq; diaconus

ius habent baptizandi. Deniq; ut cæteros ſileamus, diuus Auguſtinus clara uoce pronunciat, eos extra eccleſiam eſſe, qui relicto Epiſcopo dei, ſuccedanea ordinatione præſidente, aut ſibimetipſis aut ſemetipſos conſtituunt præpoſitos, primates, et epiſcopos.

VBi in primis eos perſtringit, qui etſi eccleſiæ ordinariam poteſtatem uerbis ornent tamen re ipſa confundunt, aſſerentes apud eccleſiam, hoc eſt, promiſcuum populum, ius eſſe conſtituendi miniſtros, modo hi qui titulum habent ordinariæ poteſtatis, dare nolint. Interpretanturq; eccleſiam eam, quæ habet purum uerbū dei abſq; omni alia nota. Ordinarios autem tum nolle dare dicunt, quum non ſtatim dant, quos ipſi petunt homines reprobos circa fidem, quo hoc contendunt, ut plebs aliqua, male perſuaſa, ſe tantum purum dei uerbum habere, contemnat eccleſiaſticam ordinationem, et miniſtros legitime conſtitutos pro ſuo arbitratu reijciat, & ſibimetipſi conſtituat magiſtros. prurientes auribus, & huc torquent ſcripturas, afferētes illud. Cauete a pſeudoprophetis. Et illud. Oues meæ uocem meam audiunt. Et hoc. Si quis aliud Euangeliū prædicauerit, præterquā quod prædicatum eſt uobis, anathema ſit, Imo non tantū ſcripturas torquent, ſed & patres citant, in primis Cyprianum, quaſi is plebi poteſtatem fecerit interpretandi ſcripturas, deſtituendi ac cōſtituēdi pro ſuo arbitratu miniſtros quum tamen Cyprianus in eo quem citauimus loco, diuerſam ſententiā acerrime tueatur. Adferunt ergo, quod Cyprianus habet epiſt. iiij. ubi ait. Propter quod plebs obſequens præceptis dominicis & deum metuens, a peccatore prepoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere, quum ipſa maxime habeat poteſtatem, uel eligendi dignos ſacerdotes, uel indignos recuſandi. Sed ipſi uidere non uolunt, hāc epiſtolam de hæreſiarchis Martialis & Baſilide ſcriptam eſſe, Et in hoc ſcriptam eē, ut doceat, plena diligentia & exploratione ſyncera, oportere ad ſacerdotiū deligi eos quos deo conſtet fore acceptos, non tantū ſuffragio plebis (quāuis & plebem adhiberi conuenerit ut præſente plebe, uel delegantur malorum crimina, uel bonorum merita) ſed legitima et iuſta ordinatiōe accedente, nimirū ſacerdotali authoritate, alioqui cōpetet in plebem, quod per Oſeam dominus dixit, Sibimet regem conſtituerunt, & non per me. Propterea (ut ibi ſubdit Cyprianus) de traditione diuina & apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt & tenendum, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui prepoſitus ordinatur, epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quiq; conueniant. Et Epiſcopus eligatur plebe præſente. Et poſt pauca. Quāuis domini uoce predictū ſit, deficiente mundo, bona quoq; deficere, mala uero ac aduerſa proficere. Non ſic tamē, quamuis nouiſſimis temporibus in eccleſia dei aut euangelicus uigor cecidit, aut Chriſtianæ uirtutis & fidei robur elanguit, ut non ſit portio ſacerdotum, quæ minime ad has rerum ruinas & fidei naufragia ſuccumbat. Sed fortis & ſtabilis honorem diuinæ maieſtatis & ſacerdotalem dignitatem plena timoris obſeruatione tueatur. Aperte ergo Cyprianus diffinit, aliud eſſe eligere ac nominare hominem, qui incipiat eſſe paſtor aut epiſcopus, quod permiſſum eſt plebi, aliud conſtituere paſtorem, quòd proprium eſt Apoſtolorum & eorum qui ipſis ſuccedunt. Vt enim ſcriptura habet,

Apoſtoli conſtituerunt diaconos, presbyteros ac epiſcopos per loca & ciuitates. Deniq; aliud eſſe, inſtituere ſacerdotiũ ſeu epiſcopalem ptãtẽ, quod proprium eſt Chriſti.

QVod autem Cyprianus ait licere plebi, ſeparare ſe a peccatore & ſacrilego ſacerdote. Vel intelligendum eſt de eo, qui extra legitimam ordinationem eccleſiam exiens, cathedram occupat, uel ſi malis generatim intelligere, cognoſces aliud eſſe, uitare perſonam uitijs corruptam, maxime cum eccleſiæ legitimo iudicio à conſortio reſecta ſit. Aliud uero ſeparare ſe à cathedra, hoc eſt, aliud eſſe, cõtemnere corruptam uitam hominis in cathedra ſedentis, aliud contemnere ſacerdotalem poteſtatem. nam & hæc in malis epiſcopis honoranda eſt, non uita. hãc fuiſſe Cypriani ſententiam, ipſe ubiq; teſtatur & exemplo declarat. Nam & ipſe (ut beatus inquit Auguſtinus) cum auaris & rapacibus non ſolum laicis & clericis, ſed & Epiſcopis atq; Pontificibus, panem domini manducabat, & calicem bibebat, nec tamẽ terrebatur uerbo Apoſtoli, iubentis: non commiſcere illis, nec cibum ſumere. ſufficiebat enim illa talibus corde ſeiungi, uita & moribus diſtingui, qui non poterat ab eis corporaliter ſeparari. Quare ſi plebs ex uita ſcelerata paſtoris ſcandalizetur, non ſeparet ſe ob id a paſtorali poteſtate, non, conſtituat ſibi proprio arbitratu parochum. Sed expectet eccleſiæ iudicium, quæ ſeruata lege Euangelij, debet tollere malos ac contumaces a communione. Interea autem ſequatur plebs Euangelij præceptum. Quæcunq; dixerint uobis, facite. ſecundum opera uero eorum facere nolite.

IAm quod de puro uerbo aſſerunt, non eſt audienda plebs, uindicans ſibi cenſuram & authoritatem de puritate uerbi cognoſcendi. Nam ſi quibuslibet licebit de puritate ſcripturæ & doctrinæ pronunciare, tot erunt eccleſiæ quot ſunt hæreticorũ capita. Quis enim ignorat omnes ſchiſmaticos ſuperbia inflatos aut miſerabili cæcitate deceptos, dicere ſe tenere ſcripturas, & recte ſentire de domino noſtro Ieſu Chriſto & nomen Chriſtianum fortiter iactantes. Neq; enim ſibi blandiantur (ut inquit Hieronymus) ſi de ſcripturarum capitulis uideantur ſibi affirmare quod dicunt. Nam et diabolus de ſcripturis nonnulla eſt loquutus, & ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtunt. Alioquin (ut ſubdit) ſi literam ſequimur, poſſumus et nos quoq; nouũ nobis dogma componere ut afferamus in eccleſiam non recipiendos, qui & calceati ſunt & duas tunicas habent, ex cap. ix. Lucæ detorto, ſed puritas doctrinæ expendenda eſt non ſecundum traditionem præſentis, aut huius uel illius particularis eccleſiæ, huius uel illius interpretis, ſed ſecundum traditionem ab initio a temporibus apoſtolorum concordi patrum ſententia ad nos uſq; deductam. Non enim ideo quia Cyprianus, aut Hieronymus, aut Auguſtinus, ita docuit, ſed quia eccleſia Chriſti ab initio ſecundum ſucceſsionem, ſerie adhæc uſq; tempora deducta, ex ſcripturis ſic credidit, tenuit, docuit, & prædicauit, idem credendum ac docendum eſt.

QVare nemo nobis opponat eccleſiam præſentem in ſingulis membris poſſe falli, aut eccleſiæ præſenti non licere nouos fidei articulos condere. Neq; enim hoc dicimus, eccleſiam præſentem pro arbitratu ſuo poſſe diffinire et ſtatuere de

fidei articulis. Sed doctrinam eccleſiæ dicimus eam, quæ ſpiritu dei ab Apoſtolis in nos uſq;, concors deriuata eſt. Innititur ergo præſens eccleſia, antiquæ fidei antiquis ſcripturis ac traditionibus ueteris eccleſiæ apoſtolicæ, cui hæc eccleſia per fidei ſpiritum copulatur.

SI ergo (quemadmodum Irenæus lib. iij. cap. iiij. pulcherrime dixit) de aliqua quæſtione diſputatio eſt, oportet ad antiquiſſimas recurrere eccleſias, in quibus conuerſati ſunt apoſtoli, & ab eis de propoſita quæſtione ſumere quod certum eſt. Quid autem ſi neq; Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis? nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quem tradiderunt his quibus committebant eccleſias, cui & barbari aſſenſerunt, atramento ſcriptam habentes, per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem? Hæc ille. Proindeq; Paulus dixiſſe uidetur. Si quis euangelizauerit uobis præter id quod accepiſtis, nimirum traditione, non ſcriptura.

IRenæo conſentit Auguſtinus contra Manichæos. Palam (inquit) eſt quod in re dubia ad fidem ac certitudinem ualeat authoritas eccleſiæ quæ ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorum ſedibus, uſq; in hodiernum diem durans ſuccedentium ſibi tot epiſcoporũ ſerie, & tot populorũ conſenſione firmatur. Iam ſi inſpicientes ueteris eccleſiæ traditionem & antiquiſſimorũ patrũ uolumina, plane uidemus ueteris eccleſiæ doctrinã prorſus cum doctrina eccleſiæ præſentis conuenire, & hiſce quæ fidei ſunt, faciem & ſtatum eccleſiæ præſentis, eſſe antiquo ſtatui conſentaneum, & eccleſiam Chriſtianam impræſentiarum credere & obſeruare, quemadmodũ credidit & obſeruauit eccleſia, quæ fuit, quum Bernardus ageret in humanis. Et eccleſiã eam, quæ ætate Bernardi fuit, in eiſdem fidei rebus, ita credere & docere, quẽadmodũ tota eccleſia Chriſtiana, quæ Bernardũ ſexcẽtis, & multo pluribus ãnis ãceſſit, q̃ & baptizabat infantes, & ꝑ defunctis orabat, & ieiunia cõmẽdabat, & uota obſeruabat, & ſctõrũ interceſſiões nõ reſpuebat, ac alia quæ nũc in cõtẽtionẽ uocãtur, tradebat. Inſanimus ꝑfecto ſi cõcordi & uetuſtiſſima eccleſiæ traditiõe relicta, ſchiſmaticis aſſentiamur.

ET nunc occurrat aliquid, quod uel aperto ſcripturæ teſtimonio, uel ſynodorũ generalium authoritate aperte deciſum non ſit, ſed inter dubia computetur, ſua cẽſura & authoritas etiam præſenti eccleſiæ ſubtrahenda non eſt, ad q̃ Chriſtus ultimum iudicium retulit. Præterea præſens eccleſia poteſtatem habet inſtituendi ordinationes & ritus eccleſiaſticos, ad fidem charitatemq; ædificandam alendamq; quarum finis quum huc tendat, ut in eccleſia omnia (ſecundum diui Pauli præſcriptum) ordine ac decenter gerantur, ut ſint pedagogia, ad ſecretiora myſteria capeſſenda & ſacra reuerentius tractanda, ut ſint imagines pietatis & fidei in oculos & aures influentes, ut ſint fulcimenta uirtutis, & ſtimuli quidam nos admonentes, quid, a quo, quo tempore, quoue pacto ſuſcipi, agi, tractariq; in toto iſto ordine conueniat omnino contemnendæ non ſunt. Quæ tamen ab eccleſia ſic inſtituuntur, non ut charitati (modo abſit ſcandalum) interdum cedere non debeant, ſed potius ut fidem & charitatem prouehant; quales ſunt ieiuniorum, feriarum, ac alij innumeri pij ritus, qui huc ſpe=

ſtant, ut expeditiores ſimus ad audiendum uerbum dei, ſacramenta participandum, & ſeruiendum deo uiuenti, & proinde non tantum utiles, ſed & neceſſariæ ſunt, in præſenti eccleſia, quæ multos carnales complectitur, quibus manuductione opus eſt. Quare qui has ſpernit et reijcit, aut ut mera figmenta hominum irridet aut a deo ueritas eſſe dicit, is cum deo & diſcipulo eius Paulo pugnat. Nam ut cætera ſileamus, prior ad Corinthios epiſtola ſatis oſtendit, quam fuerit diuus Paulus, in ritibus iſtis pijs ordinandis, atq; adeo obſeruandis ſolicitus, ut pronunciarit reijciendos ſecus ſentientes. Si quis (inquit) uult contentioſus eſſe nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia dei.

DEniq; ut præſens eccleſia non ſit eiuſdem illuminationis & reuelationis, cuius illa fuit, quæ ſub apoſtolis, & ſtatim poſt Apoſtolos erat quod ad docenda ac tradenda Chriſtianæ fidei myſteria atq; doctrinas attinet. Quod Apoſtoli ac ipſorum proximi ſucceſſores, eccleſiæ primitiuæ columnæ, arctius teſtimonium de his quæ uiderant, perbibere poterant, qui & ipſum Chriſtum, illiuſq; opera uiderunt, & doctrinã ex ſacratiſſimo ipſi ut ore perceperunt, manifeſtationemq; diuini ſpiritus in ſignis & prodigijs aſſequuti ſunt, quibus & ipſe Chriſtus poſt reſurrectionem aperuit ſenſus ut intelligerent ſcripturas prophetarum. Præſens tamẽ eccleſia eandẽ authoritatẽ habet, quã illa primitiua, quod ad claues eccleſiæ traditas attinet, quæ nihil aliud ſunt, ꝙ poteſtas eccleſiaſtica in docendo uerbo dei, in ſacramentis, cæteriſq; myſterijs Chriſti diſpẽſandis, in remittendis ac retinendis peccatis, in excõmunicando ac reconciliando criminoſos, ac cõtumaces, ac alijs eiuſdẽ generis de quibus ſuo loco latius dicemus.

IAm neminem offendet, ꝙ ſingulæ eccleſiæ ſuos interdum ritus non admodum conſentientes habeant: Hæc enim diuerſitas, fidei ac charitatis communionem non diſſoluit, præſertim quum idem finis ſit, & idem ſcopus, quem ſinguli in his rebus (ut diximus) intendunt, multominus ꝙ patres interdum diuerſa tradere uidentur. Nam quod extra eos articulos, quos eccleſia catholica traditione diffiniuit (cui illi ſcientes nunquàm repugnarent) ſalua fidei compage, & ſpiritu charitatis interdum diſſonẽt. non ducimus àbſurdum, quod in his non immobili ſententia diffiniendo loquuti ſint. Comperta eſt enim pietas fidei in eis non uacillare, quoniam omnia (in unitate eccleſiæ uſq; in uitæ finem manentes,) ad fidei ædificationem et eccleſiæ concordiam alendam dixerunt.

EX quibus omnibus manifeſtum euadit, eccleſiam dei quod ad exteriorem colligantiam & communionem attinet, uſq; in finem ſeculi habituram permiſtos bonos, & malos etiam ſecundum rationem membrorũ. Deinde quod ob malos mores uel præſidentium in eccleſia, uel membrorum, ab eccleſiæ unione recedendum non ſit, ſed ſemper eccleſiæ authoritas quærenda, ne perpetuo uel ob malos mores præſidentium, uel eccleſiæ membrorum, etſi mortuorum, hæreamus, num in corpore ueræ eccleſiæ ſimus nec ne. Deniq; ad quam regulam ſcripturæ interpretatio & dubiarum rerum, quæ in eccleſia occurrunt, determinatio exigenda ſit.

INterim tamen, quod & ſupra diximus, non inficiamur ad Eccleſiam ſtrictius acceptam, quatenus ſcilicet ii in Eccleſia eſſe dicuntur, ex quibus Ciuitas dei conſtat, tantum uitæ ſpiritualis participes, & ſibi mutuò in ſpiritu charitatis cohærentes pertinere, ad quem modum Eccleſia eſt corpus Chriſti myſticum, ſeu congregatio fideliũ, in unitate fidei & charitatis uinculo, ſub uno capite Chriſto militantium, ipſiq; capiti (ex quo totum corpus per nexus coniunctioneſq; ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum dei) per uiuam fidem & charitatem cohærentium. Quam hic ſymbolum appellat ſanctam, ideſt, mundam ac puram, quanq̃ & ſancta recte dicatur, quod ſit deo conſecrata, ſicut ſanctum domino dicitur, quod eſt illi ſacrum. Deniq; quod ad eam rationem, qua ſanctum inuiolatũ appellamus, eccleſia omnino inuiolabilis eſt fundata ſupra firmam petram, ideſt Chriſtum, adeo ut ne portæ quidem inferorum aduerſus eam preualere poſſint. Talem eccleſiam conſtantem tantum ex membris participibus uitæ ſpiritualis & occulta quadam connexione in ſpiritu charitatis coherẽtibus, apoſtolus Paulus deſcribit Ephe. quinto Chriſtus (inquit) dilexit eccleſiam, et ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lauacro uitæ, ut exhiberet ipſam ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata, nutritq; & fouet eam, quia membra ſumus corporis eius & de oſſibus eius.

NEc prætermittendum cenſemus, q̃ miſſæ ſymbolum (ut quæ uera ſit eccleſia, manifeſtius reddat) unam ſanctam dicit. nam eccleſiæ catholicæ nihil ita peculiare eſt, q̃ unitas, proindeq; inter alias notas, qua uiua mẽbra eccleſiæ dignoſcũtur, hæc eſt, quod ſupportant inuicem in charitate, ſolicita ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis. Vnũ (inquit Apoſtolus) corpus & unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ; unus dominus, una fides, unum baptiſma, unus deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis. Vocati ergo ſumus in unitatem ſpiritus, ut ueritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnẽ iuncturam ſubminiſtrationẽ ſecundum operationem in menſuram uniuſcuiuſq; membri augumentum corporis facit in ædificationẽ ſui in charitate. Et alibi. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundẽ actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. habentes autẽ donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, & cætera quæ ſequuntur. Hæc in Canticis deſcribitur in hunc modum. Vna eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ electa genetrici ſuæ. Hæc eſt tunica illa inconſutilis & ſuper contexta per totum, quæ ſciſſa non fuit, de qua Chriſtus dixit apud Ioannem. Et erit unũ ouile & unus paſtor.

HAec deſcribitur hortus cõcluſus: ſoror mea, ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ uiuæ, paradiſus cum fructu pomorum. Quod intelligere non audet Auguſtinus, niſi in ſanctis & iuſtis, non auaris, fraudatoribus, rapacibus, ebrioſis, & inuidis, qui=

bus baptiſmum habuiſſe cum iuſtis commune, eſt cum quibus non habent communem charitatem. Numerus ergo iuſtorum: qui ſecundum propoſitum uocati ſunt, de quibus dictum eſt. Nouit dominus qui ſint eius, ipſe eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ uiuæ paradiſus cum fructu pomorum. Ex hoc numero (*ut ſubdit* Auguſtinus) *quidam ſpiritualiter uiuunt, & ſupereminentem uiam charitatis ingrediuntur, & cũ preoccupatum hominem in aliquo delicto inſtruunt in ſpiritu lenitatis, intendunt ne et ipſi tententur,* Et *cum forte ipſi præoccupantur, reprimitur in eis aliquantulum, non autem extinguitur charitatis affectus, rurſuſq; reſurgens & inardeſcẽs priſtino cur ſui reſtituitur. Norunt.n.dicere. Dormitauit anima mea præ tœdio, cõfirma me in uer bis tuis. Quidam uero adhuc carnales & animales, prouectus ſuos inſtanter exercẽt, & ut cibo ſpiritualium fiant idonei ſanctorum myſteriorum lacte nutriuntur, ea quæ in prauis moribus, populari etiam iudicio manifeſta ſunt, in dei timore deuitant, & ut minus minuſq; in rebus terrenis et temporalibus delectentur, uigilantisſime ſatagũt, regulam fidei diligenter inquiſitam firmisſime tenent, & ſi quid ab ea deuiant, cito authoritate catholica corriguntur.* Ex *numero etiam eorum qui nequiter uiuunt, aut etiam in hæreſibus, uel in gentiliũ ſuperſtitionibus iacent, nouit dominus qui ſunt eius, qui nobis quidem foris eſſe uidentur,* Dei *autem præſcientia intus ſunt, ipſe enim nouit ſi conuertantur ad eum, & uiuant.*

Q*Vod ergo diximus, ſanctam eccleſiam non habere maculam aut rugam, intel ligendum eſt de criminibus lethalibus, a quibus omnes qui Chriſtiani ſumus, & poſſumus & debemus abſtinere, opitulante ſpiritu Chriſti, qui confirmabit nos uſq; in finem ſine crimine in die aduentus domini noſtri* Ieſu *Chriſti.* A *leuioribus autem, quis dicere poteſt ſe mundum eſſe? Sed hi neui uerius ſunt q̃ maculæ facile diluibiles. aut qđ dicimus eccleſiam non habere maculam aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi iam ſit tota pulchra, ſed quod ad ſummam puritatem enitatur, & a deo præparetur, ut tandem glorioſa appareat.* Nunc *enim propter quaſdam ignorantias & infirmitates membrorum ſuorum habet eccleſia, unde quotidie tota dicat.* Dimitte *nobis debita noſtra.*

CATHOLICAM. *Eccleſia ſancta appellatur catholica, hoc eſt uniuerſalis, protendens palmites ſuos in quælibet & loca & tempora, tum præterita, tum præſentia, tum futura, ſecundum ſeriem ſucceſſionis naſcentium & decedentium continuata ſub uno duce inuiſibili deo, in unitate fidei & religionis. Proindeq; hæc eccleſia nõ eſt affixa ulli loco, regioni, genti, aut familiæ, dicente ſcriptura.* Non *eſt diſtinctio Iudæi & Græci.* Non *eſt perſonarum acceptio apud deum, ſed in omni gente & loco, qui timet deum, acceptus eſt illi. Quicunque ergo ab* Adam *in præſens uſque tẽpus fuerunt ac deinceps uſque in conſummationem ſeculi erunt de fide in unum deum & Chriſtũ eius (quem ſancti ab orbe condito in ſpiritu uenturum & diaboli regnum deſtructurum nouerunt) conſentientes, unius eiuſdemque fidei &* Spiritus *uiuificantis ſignaculo obſignati, de eccleſiæ membris ſunt, nouerint ſe mutuo nec ne.* Sufficit *enim ſcire*

corpore, reuicturũ, ipſe primus a mortuis reſurrexit, ut ſcires ubi petenda fœlicitas, ut hoc mundo non aliter quam peregrinus ac in tranſitu uterεris, aliam inquirens patriam, omnemq; curam ad illam cœleſtem æternamq; uitam transferres, ſubuehendus tandem in terram uiuentium, ipſe primus aſcendit in cœlum, ut non timeres uel a mundo, uel a morte, uel a diabolo, ſedet ad dexterã uirtutis dei, paratus miſereri tibi. Ideo enim ut Paulus ait: Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret & fidelis pontifex ad deum, & ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo paſſus eſt, ipſe & tentatus, potens eſt eis qui tentantur, auxiliari. Quid facies igitur o homo, q tanta Chriſti erga te beneficia uides? Exclama cum propheta: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et ſi non habes quod retribuas, accipe ab eo quod illi offeras. Et dic cum propheta: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen dñi inuocabo.

INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS ET MORTVOS.

SYmbolũ apoſtolicũ duos Chriſti aduentus cõmemorat. Alterũ, quo deſcendens de cœlis, humilis uenit, ut p mortẽ & ſanguinẽ ſuũ captiuos redimeret pditos repararet ac ſeruaret, de quo dictum eſt prius. Alterum quo ueniet conuenientisſimo tempore ac die, quem nobis ignotum eſſe uoluit in gloria patris, iudicaturus uiuos & mortuos. Quos ambos aduentus in ſcripturis caute diſtinguere neceſſarium eſt. Rediturus eſt autem in ea forma qua aſcendit, atteſtantibus idipſum quum aſcenderet, angelis, ac dicentibus: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic eſt Ieſus, qui aſſumptus eſt a uobis in cœlum, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum, Humana quidem ſpecie conſpicuus, ſed iam immortalitatis gloria refulgens.

IVdicabit autem uiuos & mortuos, ideſt, feret ſententiam, & de uiuis, qui tum adhuc in aduentu ſuo ſupererunt, & de mortuis, nimirum omnibus, quotquot ab Adã uſque in eum diem defuncti erunt, tum ſubito reuicturis, quemadmodum diuus Paulus ait: Quod nos qui uiuimus, qui reſidui ſumus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Oportet enim nos omnes ſiſti ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria operis ſui, prout geſſit, ſiue bona, ſiue mala. Pater enim omne iudicium dedit filio. Nec tantum homines, ſed & angeli boni, ac dæmones impij coram eo ſiſtentur, Ieſumq; præſentem intuebuntur, pij ad ſolatium, impij ad terrorem. Qui hic iniuſte pro nobis iudicari condemnarique ſuſtinuit, illic iudicabit orbem uniuerſum, redditurus cuique ſecundum opera ſua. Et hæc forma iudicij, quum uenerit filius hominis in maieſtatẽ ſua, & omnes angeli cum eo, tum ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris. Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum uobis regnum a conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manduca-

re:ſitiui, & dediſtis mihi bibere:hoſpes eram, & collegiſtis me:nudus, & operuiſtis me:infirmus, & uiſitaſtis me:in carcere eram, & ueniſtis ad me. Et quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc & rex his qui a ſiniſtris eius erunt dicet: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare:ſitiui, & non dediſtis mihi potum:hoſpes eram et non collegiſtis me:nudus, & non operuiſtis me:infirmus, & in carcere eram, & non uiſitaſtis me. Et quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Quæ uerba diligenter recolenda ſunt, quibus docetur Chriſtianus, ſe ex fide illa mortua, quam nulla comitantur fidei & dilectionis opera, haud ſaluandum. Quin adeo charitatis ac miſericordiæ opera (ſine quibus nemo uere fidelis ſeu Chriſtianus cenſeri poteſt) requiri, ut de cæteris pene omnibus ſileatur. Qui enim dilectionem habet, omnia habet. Plenitudo enim legis, dilectio eſt. Et finis præcepti, charitas eſt, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Nam etſi quiſque per fidē abſq; meritis proprijs ex impio fiat iuſtus. Interim tamen manifeſtum eſt, fidem ſine operibus fidei non prodeſſe ad ſalutem, in eo qui tempus habet operandi.

CAeterum totum hoc iudicium non humano more, ſed in momento punctoq; temporis geretur, & tamen uerisſime geretur. Nec enim opus eſt moroſa diſcusſione, quando patebunt omnia cordium arcana, quando ſua queq; damnabit conſcientia, ſicut Apoſtolus ait: Teſtimonium illius reddente conſcientia ipſorum, ac inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die, quum iudicabit deus occulta hominum Corpora quoq; tunc ad immortalitatem immutata, non occupabunt (quemadmodum nunc) ſpacium loci, iuxta triplicem dimenſionem, longi, lati, & profundi, ut nemo demirari debeat, ubi ſiſtendi ſint omnes homines, qui tot annorum milibus ab orbe condito fuerunt, & tamen erunt uerisſime eadem corpora, quemadmodum circa articulum Reſurrectionis mortuorum latius dicetur. Quod autem ſcriptura ita loquitur, perinde atq; humano more iudicium hoc extremum peragendum ſit, more ſuo facit, attemperans ſermonem ad humanū captū, obſecundās tarditati noſtræ.

CRedimus autem Chriſtum propter nos uenturum iudicare uiuos & mortuos, ut pios a corporali morte ac alijs omnibus anguſtijs liberatos, in regnum ſuum cœleſte, ubi perpetuo cum eo erimus, ſubuehat. Impios uero debitis pœnis afficiat, quemadmodum ipſe dixit: Et ibunt hi, nimirum impij, in ignem æternum. Iuſti autem in uitā æternam. Itidem beatisſimus Apoſtolus ait: Qui reddit unicuiq; ſecundum opera ſua, his quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem et incorruptionem quærentibus uitam æternam. His autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudei primum & Greci. Nō enim eſt perſonarum acceptio apud deum. Proindeq; omnes pij hunc aduentum cum ſummo deſiderio morantur, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſemper orantes, ut deus pacis ſanctificet eos per omnia, ut integer

ſpiritus eorum & anima et corpus ſine querela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruetur, ſcientes quia fidelis eſt qui uocauit eos, qui etiã faciet. Diligentibus enim aduentũ eius, magna repromittitur beatitudo, quemadmodũ Pauli teſtimonio cõprobatur: De cætero (inquit) repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi dominus iuſtus iudex in illa die, nõ ſolum autem mihi, ſed & his, qui diligunt aduentum domini.

VOluit autem, dominus hunc diem aduentus ſui nobis eſſe ignotum, ad excitandũ nos, quo ſemper in officio & ea, qua uocati ſumus uocatiõe, parati inueniamur. Proindeq; apud Marcũ dominus ita Euangelium ſuum claudit, Videte, & uigilate, et orate. neſcitis enim quando tempus ſit. ſicut homo qui peregre profectus, reliquit domum ſuam & dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſque operis, & ianitori precepit, ut uigilet: Vigilate ergo neſcitis enim quando dominus domus ueniat, ſero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne quum uenerit repente, inueniat uos dormientes. Quod autẽ uobis dico, omnibus dico. Vigilate. Vigilemus ergo, & oremus, quia breuis & incerta iſta uita, & neſcimus tempus, quando uenturus eſt dominus.

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM.

SVbſequitur tertia ſymboli pars, quæ Spiritui ſancto tribuitur. in primis declarans eius diuinam naturam, quam habet cum patre, filioq; communem, ſalua diſtinctione proprietatis perſonarum, ſubinde dilucide exprimens, quæ ſit per Spiritum ſanctũ in Chriſti corpore, quod eſt eccleſia, gubernatio.

SPiritus interdum pro flatu ſpiritus aerei accipitur, re inconſtanti, uolubili & inſtabili, ſecundum quam appellationem non oportet aliquid ſimile imaginari de Spiritu ſancto. Sed frequentius in ſcripturis, generali uocabulo, ſpiritus dicitur, quicquid incorporeum eſt. Sic in Euangelio dicitur: Spiritus eſt deus, quod omnibus perſonis iuxta diuinã naturam commune eſt. Sic & angeli Spiritus dicuntur, ſic & animus hominis ſpiritus appellatur, ſed ratione incomparabiliter craſſiore. Peculiari autẽ appellatione in ſcripturis ſanctis, tertia in diuinis perſona. Spiritus ſanctus nuncupatur. CREDO. &c. In exordio noſtræ expoſitionis diximus, ſummam apoſtolici ſymboli tribus uerbis contineri, nimirum, Credo in deum. Cætera enim quæ ſequuntur, tres unius eiuſdemq; deitatis perſonas, perſonarumq; proprietates exponunt. quare ſi ſolius diuinitatis ratio habeatur, unico contextu dicemus, Credo in deum patrem, filiũ, & Spiritum ſanctum, quemadmodum Athanaſius in ſuo ſymbolo docet, fidem hanc eẽ catholicam, ut unum deum in trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur. In qua nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales. Illa ergo omnia, quæ de Chriſto, poſt articulum. Et in Ieſum Chriſtum filium eius, unicum dominum noſtrum, media intercedunt, ad incarnationis & paſſionis eius myſterium pertinent. In quibus tamen, de ſpiritu ſancto, non ſiletur, Sed ut una eadẽq; in trinitate diuinitas doceatur, ſubnectitur tertia ſymboli pars, qua principio dicimus.

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM, Diligenter enim hic retinen

da eſt præpoſitio, IN, quæ manifeſte declarat Spiritum ſanctum deum eſſe patri filioq; coæqualem. Nam in quas perſonas pariter creditur: eaſdem neceſſe eſt coæquales, atque unum deum eſſe. Nemo enim in creaturam ullam credit, hoc eſt, ſummam fiduciam collocat, ſed in unico ſoloq; deo, ſicut ſcriptum eſt: Audi Iſrael, dominus deus tuus unus eſt. Interrogati ergo de patre, an pater deus ſit? Reſpondemus, deus eſt. Interrogati de filio, eodem modo, quia deus eſt interrogati deniq; de Spiritu ſancto, pariter dicimus, quia deus eſt. Non tamen tres dij, ſed unus eſt deus, de quo meminit ſcriptura: Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Quanquam autem omnium uerisſimum ſit, in rebus creatis, nullam reperiri poſſe couenientem ſimilitudinem, per quam uel tenuiter hæc trinitas perſonarum in unitate deitatis intelligi posſit. Quæ enim ratio, aut quæ ſimilitudo incomprehenſibili & ineffabili deo comparari poteſt? quemadmodum quoque ſupra meminimus Tamen, cum uenia diuinæ maieſtatis, Sequuti diuum Auguſtinum, ad iuuandam infirmitatem noſtram, aliquam afferemus ſimilitudinem, in ea re creata, in qua deus uoſter, in ſcripturis apparuiſſe dicitur, nempe igni. In igne tria conſpicimus, lumen ignis, ſplendorem, & calorem, & quum ſint tria, unum lumen eſt, ſimul exurgunt, ſimulq; conſiſtunt, nec ignis præcedit ſplendorem, nec ſplendor calorem, & hæc non confuſe unum ſunt, ſimul operantur, & inſeparabiliter operantur, aliud igni tribuitur, aliud ſplendori, aliud calori. Nam quum ad ignem refers uiſionem, ibi operatur, & ſplendor, & calor, & quum ad ſplendorem refers illuminationem, ſiſimul operatur & ignis & calor: & quum ad calorem refers calefactionem, ſimul operatur ignis & calor & ſplendor. Ita quum dicitur, q; deus fecerit mundum, intelligimus patrem, ex quo omnia, per filium, per quem omnia, in Spiritu ſancto, in quo omnia, mundum condidiſſe. Et quum dicimus, filium pro nobis incarnatum & paſſum, intelligimus incarnationem & pasſionem filij, operatum fuiſſe & patrem & filium & ſpiritum ſanctum: quemadmodum ſuperius quoq; meminimus. Et quum peccatorum remisſio tribuitur Spiritui ſancto, intelligimus totam trinitatem hoc donum inſeparabiliter operari. Hoc ob omnino rudes dixerimus. Nam illud myſterium, quod eſt ineffabile & incomprehenſibile, nec uerbis angelicis explicari poteſt, quanto minus humanis? propterea temere nihil de inuiſibilibus affirmemus tanquam ſcientes, ſed tanquam credentes, quoniam non niſi mundo corde uideri poſſunt, Idq; non aliter in hac uita quàm ex parte tantum & in ænigmate.

SImpliciter ergo credenda eſt hæc perſonarum æqualitas. Nam quid eo manifeſtius? quod ſaluator in Euangelio ait: Baptizantes eos in nomine patris, & filij, et Spiritus ſancti, Hic enim tres perſonas recenſet, quibus tribuit patrem potentiam, uirtutem & honorem remisſionis peccatorum, & regenerationis noſtræ, per baptiſmum. Et ut euidentius ſymbolum, quod in miſſa canitur, æqualitatem ſpiritus ſancti in diuinitate cum cæteris perſonis indicaret, addidit quaſdam uoces de ſpiritu ſancto, appellans illum dominum, & uiuificantem, qui ex patre filioq; procedat, qui cum

patre & filio ſimul adoretur & conglorificetur, qui loquutus ſit per prophetas, SPIRITVM SANCTVM, Sanctum appellauit, quia unicus eſt ſpiritus, natura ſanctus, ex ſe omnia ſanctificans, quæ ſancta ſunt, appellatus propterea a Paulo Spiritus ſanctificationis, Angelorum quidem & hominum piorum ſpiritus. Sancti quoque dicuntur, at non ſanctificantes, ſed ſanctificati per ſpiritum creatorem. Sanctus quoq; ſpiritus nuncupatur, ad diſcretionem aliorum ſpirituum. Nam in ſcripturis legimus, Sauli fuiſſe ſpiritum a domino malum, & ſpiritum mendacem in ore prophetarum, Spiritum uertiginis, ſpiritum phytonicum, ſpiritum fornicationis ſpiritum nequam, ſpiritum immundum, ſpiritum huius mundi, ſpiritum Satanæ, ſpiritum tumidum & elatum. His omnibus Spiritus ſanctus contrarius eſt, eijciens eos. Nā diſpellit omnem maliciam, pro ferocibus mites reddit, deducit in omnem ueritatem, reuelat ſcripturarum myſteria, per fidem purificat corda, largitur ueram charitatem, quæ non cogitat malum, nec operatur perperam, inſpirat huius mundi contemptum, eximit ab omni conſortio Satanæ, & ſubiectos reddit deo, quia ſpiritus dei eſt, & ſpiritus Chriſti, à patre filioq; procedens. A patre quidem, atteſtante ſcriptura. Qui (inquit Chriſtus) a patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et iterum. Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. A filio uero, quum Euangelium dicat, Quod filius poſt reſurrectionem mittens diſcipulos ſuos, predicare Euangelium, inſufflauit in faciem ipſorum & dixit, Accipite ſpiritum ſanctum. Et Apoſtolus ait. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.

HAbet autem Spiritus ſanctus in ſcripturis diuerſa nomina, ſecundum diuerſas operationes. Digitus dei dicitur, in quo Chriſtus eijciebat dæmonia. Spiritus paracletus, ideſt conſolator, qui confirmat & conſolator, qui confirmat & conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ſeu aduocatus. Ipſe enim poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ideſt, ad poſtulandum nos incitat & impellit, Spiritus rectus, q. deducat nos in uiam rectam a terrenis affectibus, quibus inambulamus, nos purgans, & ad cœleſtia ſubuehens, a circuitu, in quo impij ambulant, reuocans, & in uiam rectā mandatorum domini reducens. Spiritus principalis, q. confirmet nos, ut nullis perturbationibus a Chriſto ſeparari ualeamus, nullis terroribus recedere, nullis cruciatibus infirmari. Spiritus bonus, quem dat deus petentibus eum, diffundens charitatem in cordibus noſtris. Spiritus adoptionis filiorum dei, in quo clamamus. Abba pater. Tribuitur autem in primis Spiritui ſancto bonitas, quoniam per ipſum fit remiſsio peccatorū & largitio donorum, quibus ornat animam abolitis peccatis. Itidem charitas, quia per ignem amoris ſui congregantur & conglutinantur fideles, ſicut membra corporis noſtri cohærent integra, beneficia animi, ſeu ſpiritus noſtri.

CRedimus ergo in Spiritum ſanctum deum, cum patre & filio Credimus q. in illo pater per Chriſtum, & in Chriſto omnia operatur, omniaq; uiuificat ac fouet. Credimus q. hoc ducente & gubernante, per filium ueniemus ad patrem, q. per hunc a deo patre cum filio agitemur, excitemur, uocemur, ac trahamur. Credimus q. ille per eam

eam fidem, quæ in Chriſtum eſt, donetur, quòd per eum inhabitantem, efficimur templum dei, ſicut dicit ſanctus Paulus. Templum enim dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Et iterum. Neſcitis quia corpora ueſtra templũ ſunt Spiritus ſancti, qui in nobis eſt, quẽ habetis a deo Credimus, ꝙ hic eſt, qui conſcientias noſtras reas arguit de peccato. Cui enim dubium eſt, alium ſpiritum ſpiritui noſtro in iniquitate frigido, tum adueniſſe, cũ feruore accenditur pœnitentiæ? Neq; enim qui lethali crimine occubuit, ſeipſum rurſum accendere poteſt, ut ad deum ſuum reuertatur, niſi accedat alius, hoc eſt, dei Spiritus. ipſum diiudicans. Credimus, ꝙ hic Spiritus mortificet in nobis carnales concupiſcentias, ꝙ extinguat opera carnis, ꝙ motus in nobis excitet, & fructus gignat ſpirituales. Eſt itaq; certiſſimũ pignus uocationis noſtræ, quoniã quum ſentimus opera eius in nobis, ideſt conuerſionem animarũ noſtrarũ ad deum uiuentem, & cætera quæ diximus, ipſe Spiritus, reddit teſtimoniũ ſpiritui noſtro, ꝙ ſumus filij dei. Si aũt filij, & hæredes, hæredes quidem dei, cohæredes autem Chriſti. Quo imbuti, cum fiducia clamamus. Abba pater. Nam qui hoc ſpiritu uacant, mundano ſpiritu imbuti, falſo dicunt Chriſto. Domine domine, quia hoc Spiritu carent, non facientes uoluntatem patris, nec fructus ſpiritus. proindeq; ſecundum Ioannis teſtimonium, nemo Ieſum appellat dominum, niſi in Spiritu ſancto. Dominum enim Ieſum appellare non poteſt quiſꝗ, qui ſe illi totum non committit & ſubdit, quod fit Spiritu ſancto docente. Ergo fratres (ut diuus Paulus inquit) debitores ſumus, non carni, ut ſecundum carnem uiuamus. Si enim ſecundum carnem uixeritis, moriemini. Si autẽ ſpiritu, facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicunq; enim ſpiritu dei aguntur, hi ſunt filij dei.

Nolo tamen, ut intelligas hanc motionem animi tui, eſſe ipſum ſpiritum ſanctum, etſi in ſcripturis interdum ſic nominetur, nimirum ꝙ ſit gratia & opus Spiritus ſancti ab eo proficiſcens, quæ non ſubſtantia, ſed accidens in nobis eſt. Ad eum modum orat Paulus, ut hic ſpiritus integer pſeueret in nobis, hoc eſt, Spiritus ſancti gratia. Atq; huius gratiæ reſpectu, quam operatur Spiritus ſanctus in cordibus fidelium, homo ex corpore, animo, & Spiritu humano compoſitus, ſæpenumero caro, carnalis ſeu animalis apud Paulum appellatur, quod quicunq; ex ſpiritu ſancto non fuerit renatus, mentem, rationem & uoluntatem carnalibus deſiderijs, ita obſitam teneat, ut regnum dei uidere non poſſit.

SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM.

Hic ſermonis uis mutatur. omittitur enim præpoſitio. I N. Non enim dicit ſymbolum, Credo in ſanctam eccleſiam, et cætera quæ ſequuntur, ſicut ſuperius dixit. Credo in deum patrem, Et in Ieſum Chriſtum filium eius unicum, & in Spiritum ſanctum, Sed tantum, Credo ſanctam eccleſiam catholicam. i. credo eccleſiam a deo congregatam eſſe, non in ſanctam eccleſiam, ut in deum. Hac ergo præpoſitionis ſyllaba, creator ſecernitur a creaturis, & diuina ſeparantur ab humanis.

SANCTAM ECCLESIAM. Proximo articulo didicimus ſpiritum omnia ſanctificantem, hic eccleſiam audimus ab illo ſanctificatam. Eccleſia græca uox eſt. ab

ecchalin, quod eſt euocare. Vnde eccleſia quaſi euocata concio. Fides enim (ut ait Paulus) ex auditu eſt, auditus autem per uerbum Chriſti. Qui ergo per uerbum Chriſti euocati ſunt a ſimulachris mortuis ad deum uiuum, ab ignorantiæ tenebris ad lucem Chriſtianæ ueritatis, & obtemperarunt, eccleſia Chriſti dicuntur. Eccleſia autem duplex eſt, militans & triumphans. utranq; complectitur hic articulus. Triumphans eſt cœtus ille beatarum animarum cum Chriſto regnantium, qui & de mundo & diabolo triumphauit, & regnat cum Chriſto ſecurus in æternum, quem Apocalypſis deſcribit. Hi (inquit) ſunt qui uenerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerunt eas in ſanguine agni, & ideo ſunt ante thronum dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos, non eſurient neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol neq; ullus æſtus, quoniam agnus qui in medio throni eſt reget illos, & deducet eos ad fontes aquarum, et abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Vt ad Eccleſiam militantem ueniamus, hæc bifariam conſideratur. Primum ſtrictius, quatenus dicimus eos eē in Eccleſia, qui ita ſunt in domo dei, ut et ipſi ſint domus dei, ſeu templum Spirituſſancti, qui conſtituunt urbem illam beatam Hieruſalē de cœlo deſcendentem, a deo paratam, conſtructam uiuis ex lapidibus, de quibus dixit Apoſtolus. Multi unum corpus ſumus in Chriſto Ieſu, quos & alibi uocat populum emundatum ab omni iniquitate, acceptabilem deo, ſectatorem bonorum operum, Eccleſia uero eatenus accepta ſoli deo nota eſt, quemadmodum idem Apoſtolus ait. Cognouit dominus qui ſunt eius. Verum ad eum modum non oportet accipere Eccleſiæ uocabulum, ubi uel Chriſtus de audienda Eccleſia precipit, uel Patres poſt Apoſtolos de authoritate Eccleſiæ diſſerunt, hanc enim quæ audienda eſt, & cuius authoritas ſequenda, nobis cognobilem atq; adeo uiſibilem eſſe oportet. Secundo ergo Eccleſia conſyderatur, ut complectitur omnes qui habent cōmunionem profeſſionis fidei, doctrinæ, & ſacramentorū ſecundū catholicā & apoſtolicam traditionē. Ad hunc modum, nimirum quod ad eam ſocietatem attinet, tā boni q̄ mali, per quandā colligantiā eiuſcemodi profeſſionis ac exterioris participationis ſacramentorū, ſunt in Eccleſia dei, mali tamen non ſecus, quā palea eſt in frumento. Et quemadmodū humano corpori, plerunq; adhærent membra. aut mortua, aut arida, aut putrida, aut languida, quæ nonnunquàm reſecanda ueniunt, ne cætera membra horum contagione inficiantur. interdum tolleranda, ne forte, ſi abſcindantur, totum corpus in periculum ueniat, quæ et ſi membris uiuis in uitali ſpiritu non cōmunicent, colligantia tamen quadam uiuis adhærent, proindeq; adhuc corporis membra dicuntur & corporis eſſe partes. Ita de Eccleſia, ad hunc modū accepta ſentiendū eſt, ut ſit populus in unam profeſſionem fidei, & communionem ſacramentorū uocatus, cohærens ſaltē ſecundū unitatē profeſſionis, & uiſibilē quandā Chriſtianæ fidei formā. In quo cœtu & bonos & malos dicimus eſſe permiſtos, qui etſi non ſint colligati omnes unitate ſpiritus, & uinculo charitatis, colligati tamen ſunt ſecundum unionem, unius ſignaculi fidei, & corporaliter coniuncti, ſecun-

dum uiſibilia pietatis ſacraměta. quãuis nonnulli inter eos ſint impij, peccatores, auari, fornicatores, & id genus homines, ſecundum exteriorem fidei, profeßionem, formam quidem pietatis habentes, uirtutem tamen eius abnegantes.

AD hunc modum accipientes eccleſiam, excludimus ab ea tum excommunicatos, tum hæreticos, ſchiſmaticos item & paganos. Excommunicatos quidem, q̃ publico eccleſiæ iudicio, ab exteriori eccleſiæ conſortio, donec reſipiſcant, ſeparati ſint. Hæreticos aũt et ſchiſmaticos, quod ſua ſponte de eccleſia exierint, deſeruerintq; eandem & contemnentes, & proſcindentes, & perſequentes. Paganos uero, quod eccleſiam, ueluti in qua nec ſint nec unquam fuerint, nulla ex parte agnoſcant, ſecundum nullam, ne exteriorem quidem & uiſibilem formam religiouis & ſacramentorum, eccleſiæ unq̃ adſcripti ſeu coagulati. Nec dubium eſt, magnum diſcrimen eſſe inter hos, quos a conſortio eccleſiæ penitus ſecludimus, et illos quos certa ratione uti membra, licet inutilia, ab eccleſiæ unione non repellimus. Nam gentes, itidem manifeſtos hæreticos, ſchiſmaticos & excommunicatos, quãuis eccleſiæ membris cohabitent, & ſecundum exteriorem politiam cum eccleſiæ membris conuerſentur, nemo tamẽ eos eccleſiæ membra dixerit, quod ſecus eſt in Chriſtianis, quãuis publice peccantibus, ab eccleſiæ tamen conſortio nondum reſecatis, ſcripturis id apertißime docentibus, Paulus Apoſtolus ad Corinthiorum eccleſiam ſcribens, culpat ipſos, quod audiretur inter eos fornicatio talis, qualis nec inter gentes. Et ſtatim apertum diſcrimen facit inter fornicarios & ſceleratos fratres, ac fornicarios ac ſceleratos huius mundi, quod illos uti membra contagioſa tolli ac ſegregari, & ut fermentum malitiæ ac nequitiæ, commiſtum maſſæ, expurgari iubeat, donec reſipuerint, quemadmodum ipſe illic inceſtum fratrem excommunicat ac Satanæ in interitum carnis tradit, ut ſpiritus eius ſaluus fiat in die domini, non tolleret autem, nec ſegregaret, niſi eum intus in eccleſia fuiſſe fateretur. At hos, nempe fornicarios ac ſceleratos huius mundi, ibidem penitus foris eſſe dicit, & eos ad ſuum iudicium non pertinere. Quid enim mihi (inquit) de his qui foris ſunt iudicare? Nonne de his qui intus ſunt uos iudicatis? nam eos qui foris ſunt, deus iudicabit. Auferte ergo (ut ſubdit) malum ex uobiſipſis. Hæretici ergo ac ſchiſmatici manifeſti, non intus, ſed foris eſſe dicuntur, ut qui ſecundum uerbum Apoſtoli receſſerint & non permanſerint in doctrina Chriſti, qui ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utiq; nobiſcum, quibus ne uel aue dicamus, uel hoſpitium præbeamus, idem Apoſtolus uetat, ac Paulus hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem deuitari præcipit, quod ſubuerſus ſit qui eiuſmodi eſt, & delinquat, quum ſit proprio iudicio condemnatus. Quod ſi (ut omnes ſolent Hæretici) ſe eccleſiæ membrum eſſe ſimulet, ſtatim ut innotuerit, de eccleſia exiiſſe, ac palmitem are factum eſſe, eccleſiaſtico ſarcullo reſcindendus eſt, ne uiti officiat.

ET ne quis hoc diſcrimen uanum eẽputet, ſed intelligat Chriſtianos, uitæ licet nõ ſatis inculpatæ carnaliter uiuentes, atq; adeo lethalibus criminibus contamina-

tos(modo tamen pacem integram tum quod ad fidei profeßionem ac doctrinam, tum quod ad ſacramentorum participationem attinet, cum membris uiuis retineāt) ad prædictum modum in eccleſia eſſe. Chriſtus eccleſiam ſuam, aream uocat, quæ continet & paleam & triticum, Sementem quoq; ſeminatum in agro, in quo quum ſuperſeminatur lolium, ſuccreſcunt ſimul zizania & triticum. Sagenam item in mare miſſam, atq; ex omni genere piſcium congregantem, maloſq; piſces ſimul cū bonis permiſtos habentē, Itidem uineam, in qua ſunt palmites, non tantum uuas, ſed et labruſcas facientes. Regnum etiam celorum appellat eccleſiam, quod confert decem uirginibus, quinq; prudentibus, & quinq; fatuis. Deniq;, quemadmodum in arca Noe animalia munda erāt ſimul cum immundis. Ita & in eccleſia, quandiu in hoc mundi pelago iactatur, bonos habebimus & malos.

HAec autem noſſe oportet omnem Chriſtianum ne exiſtimet eccleſiā propter malorum permiſtionem deſerendam, & aliam quærendam. Verum in omnibus (uti Augustinus ait) tenenda eſt beatisſimi Cypriani pleniſſima charitatis pietatiſq; ſententia, dicentis. Quanq̄ in eccleſia uidemus eſſe zizania, non tamen debet perturbari aut fides, aut charitas noſtra, neq; de eccleſia recedere debemus ob id, ꝙ zizania in eccleſia eſſe cernimus. quin potius ubi uidemus eccleſiam opprimi per impios, hic fidei articulus, quem tractamus, nos confirmabit, ne deſperemus, ſed ſciamus eccleſiā eſſe permanſuram, & nauiculam iactandam quidem, ſed non ſubmergendam.

SEcundo, ut intelligamus non extenuandā eccleſiæ authoritatē, multo minus ab eccleſia recedendum ob id, ꝙ interdum cathedram occupent Pontifices uitæ non ſatis inculpatæ, aut ꝙ in eccleſia præſidere conſpiciamus crimino ſos, modo tamen per legitimam ordinationem ius & poteſtatem miniſterij acceperint, & in cōmunione permanſerint. Siquidem eum, qui ſemetipſum conſtituerit Epiſcopum, nemini ſuccedens, nemine legitima ordinatione epiſcopatum dante, quantumlibet ſub ſe congreget multitudinem populi, & dicat ſe ſeruare ac docere quattuor dei Euangelia, apoſtolicam ſcripturam, & fidem & charitatem cum cæteris eccleſijs, non poſſe tamen eccleſiæ membrum eſſe, palam eſt. Eccleſiæ ergo ordinem authoritatemq; ob malos tantummodo mores miniſtrorum labefactare, plane ſchiſmaticum eſt. Nam etſi tales eccleſiæ miniſtri, uitam ducentes improbatam, ſpiritu careant. quo ipſi ſancti ſint & iuſti. Quamdiu tamen eccleſiæ membra ſunt, & ab eccleſia tolerantur Spiritum ſanctum, qui Chriſti & eccleſiæ miniſterijs, quæ per eos aguntur, aßiſtit, habent, per quem in eccleſia peccata remittunt, ac ſacramenta efficaciter impertiuntur. Neq; enim ideo non ſunt efficacia ſacramenta, quia per malos tractantur. Omnia enim ſacramenta, licet indigne tractantibus obſint, proſunt tamen per eos digne ſumentibus. In miniſtris enim, quatenus miniſtri ſunt, non attendimus meritorum diuerſitatem, ſed tantum uirtutem ac poteſtatem eius, cuius munere funguntur, Non enim pendent ſacramenta ex dignitate miniſtrorum, ſed ex mandato & ordinatione diuina. Clamat contra Corinthios Paulus, ꝙ æſtimarint baptiſmi gratiam a

miniſtris, dicentes. Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Chriſti, quaſi diuiſus eſſet Chriſtus, uel Paulus, uel Apollo pro ipſis crucifixi, aut in nomine Pauli, & non potius Chriſti baptizati eſſent. Proindeq; grauiter arguit eos ut ſchiſmatis reos, dicens. Quum ſit inter uos zelus & contentio, nõne carnales eſtis & ſecundum hominem ambulatis? Quid enim Apollo? quid uero eſt Paulus? Miniſtri eius, cui credidiſtis. Ego quidem plantaui, Apollo rigauit, ſed qui incrementum dat, deus. Itaq; neq; qui plãtat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat, deus. Hac de re, multæ inſignes in ſcripturis ſententiæ extant. In Euangelio Ioannis legimus Baptiſtæ teſtimonium. Qui (inquit) miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem uideris ſpiritum deſcendentem & manẽtem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Similiter apud cæteros Euangeliſtas. Ego baptizo uos aqua, ille aũt baptizabit uos in ſpiritu ſancto. Docet idem aperta Chriſti ſententia, honorem etiã deferens Iudeorum cathedræ, in qua tamen impij ſedebant. Super cathedram (inquit) Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quecunq; dixerint, facite. Et iterum. Vade & oſtende te ſacerdoti. Itidem alibi. Ite & oſtendite uos ſacerdotibus. Et quid apertius, eo quo ait. Qui uos audit, me audit: qui uos ſpernit, me ſpernit? Vbi miniſterij authoritatem a miniſtris in ſe transfert. Baptizatus ergo ab immundo ſacerdote nihilo ſecius mundatur, non ab immundo, ſed a Chriſto qui intus baptizat in homine, in quem oportet totam ſpem ponere. Maledictus enim, qui confidit in homine.

Tertio, hæc noſſe oportuit, ut ſciamus malos in eccleſia dei præſidentium mores non tanti æſtimandos, ut nos dubitare faciant, ubi nam ſit eccleſia Chriſti, quod hac tempeſtate multis uſuuenit, qui fluctuant ab omni uento doctrinæ, a nobis recedentes, & in angulum aliquem ſe recipientes, dicere incipiunt. Ecce hic Chriſtus, ecce illic. Sic enim fieri non oportuit. Notas & ſigna habemus longe certiſſima, quæ nos de eccleſia, ubinam ſit, dubitare non ſinunt. Principio nemo negat, in eccleſia ſyncerã doctrinam, euangelicam & apoſtolicam eſſe oportere. Et hanc præcipuam eſſe eccleſiæ notam, iuxta illud. Oues meæ uocem meam audiunt, & quod eſt apud Paulum. Si quis prædicauerit aliud euangelium, anathema ſit. Sed hæc nota non ſtatim defendet nos ab hæreticis. Nam & ipſi iactant ſe Chriſtianum habere nomen, & apud ſe ſolos eſſe Chriſti fidem, ſacramenta, & ſcripturas, ſed aut mentiuntur detorquentes ſcripturas, aut grauiter falluntur. Nam & Cyprianus ait. Scripturas ſi ſeruarent, eccleſiam Chriſti cognoſcerent, & in ea permanerẽt. Quærenda eſt enim eccleſia in ſcripturis ſacris, ubi manifeſte cognoſcitur, quibus deſignatur ipſa ab Hieruſalem incipiens creſcere, & inde per apoſtolos diffundi in omnes gentes, ſecundum ſeriem ſucceſſionis, durans adhæc uſq; tempora. Quiſquis ab hac eccleſia catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe laudabiliter uiuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere (quod a Chriſti unitate ſe iunctus eſt) non habebit uitam æternam, ſed ira dei manet ſuper eum. Quiſquis autem, in hac eccleſia bene uixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia communio malorum non maculat aliquem communione ſacramentorum, ſed conſenſus facto-

rū. Hæc eſt ergo ſola religionis Chriſtianæ machina, quæ cunctas hæreſes ſemel abolet. Ipſa inquam concors doctrina, omnium ſanctorum patrum, ſecundum ſuorum temporum ſucceſſiones, concorditer reddentium teſtimonium uerbis Chriſti & Primitiuæ eccleſiæ conſuetudini.

Quod ut paulo euidentius fiat, ex ſcripturis manifeſtum eſt, eccleſiæ colligantiam nō tantum conſtare, aliquorum hominum conſenſu in unam aliquam fidei profeſſionem, ſacramentorumq; communionem, aut in eadem Euangelia, eaſdemq; canonicas ſcripturas, ſed præter hæc, ordo in eccleſia retinendus eſt, ueluti quidam eccleſiæ nexus, nō quem humana præſumptio adinuenit, ſed quem Chriſtus inſtituit, qui in eccleſia ſua omnia ordinatiſſima eſſe uoluit, ſingulaq; membra ſuis officijs defungi, diuidens unicuiq; gratiam, prout uult, proindeq; poſuit ac dedit quoſdam apoſtolos, quoſdam autē prophetas, alios uero Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filij dei in uirum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti. Et cur hoc neceſſarium fuerit, continuo addidit, dicens, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni uento doctrinæ in nequitia hominum. Officia ergo Chriſtus in eccleſia diſcreuit, non parem membris omnibus tribuens poteſtatem, ſacerdotalem inſtituens functionem, cui annexuit non humanam, ſed plane diuinam poteſtatem, nempe prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, dandi ſpiritum ſanctum, claudendi & aperiendi regnum cœlorum, conficiendi corpus & ſanguinem dominicum, ac cætera ſacramenta eccleſiæ miniſtrandi. Hanc poteſtatē collaturus Chriſtus Apoſtolis, iam renatis ac ſpiritū ſanctum habētibus, poſt reſurrectionem inſufflans dixit. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hanc inſufflationem Auguſtinus ac cæteri patres, peculiarē gratiam ac poteſtatem interpretantur, quæ per traditionem infunditur baptizatis, quum per manus impoſitionem rite ordinantur, de qua dicit Apoſtolus ad Timotheum. Noli negligere gratiam dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuū preſbyteri. Viſibili ergo ordinatione per Chriſtū inſtituta, per Apoſtolos deo facta, & in nos continua ſucceſſionis ſerie deducta, ad retinendam eccleſiæ unitatem quam maxime opus erat.

Nam nunquam ſchiſmaticum fuiſſet finis, niſi Chriſtus non tantum inuiſibili, ſed & uiſibili iuſſione ac ſacramento, Apoſtolos ſuos miſiſſet, dicens. Sicut me miſit uiuens pater, & ego mitto uos. Et iterum. Euntes in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos omnia ſeruare quæcunq; præcepi uobis. Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur, ut Apoſtolus ait? Non enim tuto ulli hominum creditur ſe inuiſibiliter miſſum aut a deo unctum eſſe dicenti. Quum & Paulus Apoſtolus & Barnabas uiſibili ſacramento ſegregandi erant apoſtolica authoritate ad eccleſiaſtica miniſteria. Et Paulus Titum officij commonens ait. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates preſbyteros, ſicut & ego

diſpoſui tibi. Quærenda eſt ergo eccleſia apud eos, apud quos eſt concors doctrina, & legitima epiſcoporũ ſucceſsio, ab apoſtolorum temporibus adhæc uſq; tempora deducta.

QVod patres apertiſſime docent, & in primis Irenæus uetuſtiſſimus epiſcopus, qui non multo poſt Apoſtolorum tempora floruit, hanc ſententiam paſſim inculcat. Nam lib. iiij. aduerſ. hæreſ. cap. iiij, ſic habet. Agnitio uera (nimirum eccleſiæ) eſt apoſtolorum doctrina, et antiquus eccleſiæ ſtatus, in uniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti, ſecundum ſucceſſiones epiſcoporum, quibus illi eam quæ in uno quoq; loco eſt, eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit uſq; ad nos cuſtodita. Et poſt pauca. Et præcipuum dilectionis munus (ſubaudi, eccleſia habet) qđ eſt precioſius q̃ agnitio, glorioſius autem q̃ prophetia, omnibus autem chariſmatibus ſupereminens, & eiuſdem libri cap. xlv. (ubi refert ſe audiſſe preſbyterum, qui audierat ab his qui Apoſtolos uiderant) ait. Vbi igitur chariſmata domini ſunt poſita, ibi diſcere oportet ueritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab apoſtolis eccleſiæ ſucceſſio, quod hinc confirmat, quia poſuit deus primo in eccleſia Apoſtolos, &c. Eandem ſententiam lib. iij. cap. i. ij. iij. iiij. & v. aduerſus hæreticos grauiſſime ac luculentiſſime defendit, uindicans authoritatem & traditionem eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis per ſucceſſionem preſbyterorum cuſtoditur, perueniens uſq; ad nos. Et eiuſdem aſtruens unitatem. Pleniſſima (inquit) eſt hæc oſtenſio, unã & eandẽ uiuificatricem fidem eſſe, quæ in eccleſia ab Apoſtolis uſq; nunc ſit conſeruata, & tradita in ueritate. Et ne quis putaret ſolius fidei ſucceſſionem ſufficere, li. iiij. cap. xliij. ait. His tantum preſbyteris obediendum, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum epiſcopatus ſucceſſione, chariſma ueritatis certum ſecundum placitum patris acceperunt. Reliquos qui abſiſtunt a principali ſucceſſione, & quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habendos, uel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, uel quaſi ſcindentes & elatos & ſibi placentes, aut rurſus ut hypocritas queſtus gratia & uanæ gloriæ hoc operantes, qui omnes a ueritate decidunt. Et hæretici quidem (ut ſubdit) alienum ignem offerentes ad altare dei, ideſt, alienas doctrinas, a cœleſti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abiu, & qui exurgunt contra ueritatem, & alios adhortantur aduerſus eccleſiam dei, remanent apud inferos, uoragine terræ abſorpti, quemadmodum qui circa Chore. Datham, & Abiron. Qui autem ſcindunt & ſeparant unitatem eccleſiæ, eandem quam Hieroboam, pœnam percipiunt a deo. Hæc ille. Cui reliqui ſancti patres uno ore omnes aſſentiuntur ac ſubſcribunt. In primis autem Tertullianus libro de præſcriptionibus hæreticorum. ubi docet, epiſcopum principalem in unaquaq; eccleſia, habuiſſe authorem, uel Apoſtolum, a quo ius & poteſtatem ſacerdotij acceperit. Itidem Cyprianus paſſim. ex profeſſo uero in epiſtola ad Antonianum: Eos docet eſſe ſchiſmaticos, qui ſe præpoſitos conſtituunt ſine ulla ordinationis lege, qui nemine epiſcopatum dante, epiſcopi ſibi nomen aſſumunt. Cui Hieronymus accedit. Sine chriſmate (inquit) & epiſcopi iuſſione, neq; preſbyter neq; diaconus

ius habent baptizandi. Deniq; ut cæteros ſileamus, diuus Auguſtinus clara uoce pronunciat, eos extra eccleſiam eſſe, qui relicto Epiſcopo dei, ſuccedanea ordinatione præſidente, aut ſibimetipſis aut ſemetipſos conſtituunt præpoſitos, primates, et epiſcopos.

VBi in primis eos perſtringit, qui etſi eccleſiæ ordinariam poteſtatem uerbis ornent tamen re ipſa confundunt, aſſerentes apud eccleſiam, hoc eſt, promiſcuum populum, ius eſſe conſtituendi miniſtros, modo hi qui titulum habent ordinariæ poteſtatis, dare nolint. Interpretanturq; eccleſiam eam, quæ habet purum uerbũ dei abſq; omni alia nota. Ordinarios autem tum nolle dare dicunt, quum non ſtatim dant, quos ipſi petunt homines reprobos circa fidem, quo hoc contendunt, ut plebs aliqua, male perſuaſa, ſe tantum purum dei uerbum habere, contemnat eccleſiaſticam ordinationem, et miniſtros legitime conſtitutos pro ſuo arbitratu reijciat, & ſibimetipſi conſtituat magiſtros. prurientes auribus, & huc torquent ſcripturas, aſſerẽtes illud. Cauete a pſeudoprophetis. Et illud. Oues meæ uocem meam audiunt. Et hoc. Si quis aliud Euangeliũ prædicauerit, præterquã quod prædicatum eſt uobis, anathema ſit, Imo non tantũ ſcripturas torquent, ſed & patres citant, in primis Cyprianum, quaſi is plebi poteſtatem fecerit interpretandi ſcripturas, deſtituendi ac cõſtituẽdi pro ſuo arbitratu miniſtros quum tamen Cyprianus in eo quem citauimus loco, diuerſam ſententiã acerrime tueatur. Adferunt ergo, quod Cyprianus habet epiſt. iiij. ubi ait. Propter quod plebs obſequens præceptis dominicis & deum metuens, a peccatore prepoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere, quum ipſa maxime habeat poteſtatem, uel eligendi dignos ſacerdotes, uel indignos recuſandi. Sed ipſi uidere non uolunt, hãc epiſtolam de hæreſtarchis Martialis & Baſilide ſcriptam eſſe, Et in hoc ſcriptam eẽ, ut doceat, plena diligentia & exploratione ſyncera, oportere ad ſacerdotiũ deligi eos quos deo conſtet fore acceptos, non tantũ ſuffragio plebis (quãuis & plebem adhiberi conuenerit ut præſente plebe, uel delegantur malorum crimina, uel bonorum merita) ſed legitima et iuſta ordinatiõe accedente, nimirũ ſacerdotali authoritate, alioqui cõpetet in plebem, quod per Oſeam dominus dixit, Sibimet regem conſtituerunt, & non per me. Propterea (ut ibi ſubdit Cyprianus) de traditione diuina & apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt & tenendum, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui prepoſitus ordinatur, epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quiq; conueniant. Et Epiſcopus eligatur plebe præſente. Et poſt pauca. Quãuis domini uoce predictũ ſit, deficiente mundo, bona quoq; deficere, mala uero ac aduerſa proficere. Non ſic tamẽ, quamuis nouiſſimis temporibus in eccleſia dei aut euangelicus uigor cecidit, aut Chriſtianæ uirtutis & fidei robur elanguit, ut non ſit portio ſacerdotum, quæ minime ad has rerum ruinas & fidei naufragia ſuccumbat. Sed fortis & ſtabilis honorem diuinæ maieſtatis & ſacerdotalem dignitatem plena timoris obſeruatione tueatur. Aperte ergo Cyprianus diffinit, aliud eſſe eligere ac nominare hominem, qui incipiat eſſe paſtor aut epiſcopus, quod permiſſum eſt plebi, aliud conſtituere paſtorem, quòd proprium eſt Apoſtolorum & eorum qui ipſis ſuccedunt. Vt enim ſcriptura habet,

Apoſtoli conſtituerunt diaconos, presbyteros ac epiſcopos per loca & ciuitates. Denique aliud eſſe, inſtituere ſacerdotiũ ſeu epiſcopalem ptātē, quod proprium eſt Chriſti.

QVod autem Cyprianus ait licere plebi, ſeparare ſe a peccatore & ſacrilego ſacerdote. Vel intelligendum eſt de eo, qui extra legitimam ordinationem eccleſiam exiens, cathedram occupat, uel ſi malis generatim intelligere, cognoſces aliud eſſe, uitare perſonam uitijs corruptam, maxime cum eccleſiæ legitimo iudicio à conſortio reſecta ſit. Aliud uero ſeparare ſe à cathedra, hoc eſt, aliud eſſe, cõtemnere corruptam uitam hominis in cathedra ſedentis, aliud contemnere ſacerdotalem poteſtatem. nam & hæc in malis epiſcopis honoranda eſt, non uita. hãc fuiſſe Cypriani ſententiam, ipſe ubique teſtatur & exemplo declarat. Nam & ipſe (ut beatus inquit Auguſtinus) cum auaris & rapacibus non ſolum laicis & clericis, ſed & Epiſcopis atque Pontificibus, panem domini manducabat, & calicem bibebat, nec tamẽ terrebatur uerbo Apoſtoli, iubentis: non commiſcere illis, nec cibum ſumere. ſufficiebat enim illa talibus corde ſeiungi, uita & moribus diſtingui, qui non poterat ab eis corporaliter ſeparari. Quare ſi plebs ex uita ſcelerata paſtoris ſcandalizetur, non ſeparet ſe ob id a paſtorali poteſtate, non, conſtituat ſibi proprio arbitratu parochum. Sed expectet eccleſiæ iudicium, quæ ſeruata lege Euangelij, debet tollere malos ac contumaces a communione. Interea autem ſequatur plebs Euangelij præceptum. Quæcunque dixerint uobis, facite. ſecundum opera uero eorum facere nolite.

IAm quod de puro uerbo adſerunt, non eſt audienda plebs, uindicans ſibi cenſuram & authoritatem de puritate uerbi cognoſcendi. Nam ſi quibuslibet licebit de puritate ſcripturæ & doctrinæ pronunciare, tot erunt eccleſiæ quot ſunt hæreticorũ capita. Quis enim ignorat omnes ſchiſmaticos ſuperbia inflatos aut miſerabili cæcitate deceptos, dicere ſe tenere ſcripturas, & recte ſentire de domino noſtro Ieſu Chriſto? nomen Chriſtianum fortiter iactantes. Neque enim ſibi blandiantur (ut inquit Hieronymus) ſi de ſcripturarum capitulis uideantur ſibi affirmare quod dicunt. Nam et diabolus de ſcripturis nonnulla eſt loquutus, & ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtunt. Alioquin (ut ſubdit) ſi literam ſequimur, poſſumus et nos quoque nouũ nobis dogma componere ut afferamus in eccleſiam non recipiendos, qui & calceati ſunt & duas tunicas habent, ex cap. ix. Lucæ detorto, ſed puritas doctrinæ expendenda eſt non ſecundum traditionem præſentis, aut huius uel illius particularis eccleſiæ, huius uel illius interpretis, ſed ſecundum traditionem ab initio a temporibus apoſtolorum concordi patrum ſententia ad nos uſque deductam. Non enim ideo quia Cyprianus, aut Hieronymus, aut Auguſtinus, ita docuit, ſed quia eccleſia Chriſti ab initio ſecundum ſucceſſionem, ſerie adhæc uſque tempora deducta, ex ſcripturis ſic credidit, tenuit, docuit, & prædicauit, idem credendum ac docendum eſt.

QVare nemo nobis opponat eccleſiam præſentem in ſingulis membris poſſe falli, aut eccleſiæ præſenti non licere nouos fidei articulos condere. Neque enim hoc dicimus, eccleſiam præſentem pro arbitratu ſuo poſſe diffinire et ſtatuere de

fidei articulis. Sed doctrinam eccleſiæ dicimus eam, quæ ſpiritu dei ab Apoſtolis in nos uſq;, concors deriuata eſt. Innititur ergo præſens eccleſia, antiquæ fidei antiquis ſcripturis ac traditionibus ueteris eccleſiæ apoſtolicæ, cui hæc eccleſia per fidei ſpiritum copulatur.

SI ergo (quemadmodum Irenæus lib. iij. cap. iiij. pulcherrime dixit) de aliqua quæſtionæ diſputatio eſt, oportet ad antiquisſimas recurrere eccleſias, in quibus conuerſati ſunt apoſtoli, & ab eis de propoſita quæſtione ſumere quod certum eſt. Quid autem ſi neq; Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis? nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quem tradiderunt his quibus committebant eccleſias, cui & barbari aſſenſerunt, atramento ſcriptam habentes, per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem? Hæc ille Proindeq; Paulus dixiſſe uidetur. Si quis euangelizauerit uobis præter id quod accepiſtis, nimirum traditione, non ſcriptura.

IRenæo conſentit Auguſtinus contra Manichæos. Palam (inquit) eſt quod in re dubia ad fidem ac certitudinem ualeat authoritas eccleſiæ quæ ab ipſis fundatisſimis Apoſtolorum ſedibus, uſq; in hodiernum diem durans ſuccedentium ſibi tot epiſcoporũ ſerie, & tot populorũ conſenſione firmatur. Iam ſi inſpicientes ueteris eccleſiæ traditionem & antiquisſimorũ patrũ uolumina, plane uidemus ueteris eccleſiæ doctrinã prorſus cum doctrina eccleſiæ præſentis conuenire, & hiſce quæ fidei ſunt, faciem & ſtatum eccleſiæ præſentis, eſſe antiquo ſtatui conſentaneum, & eccleſiam Chriſtianam impreſentiarum credere & obſeruare, quemadmodũ credidit & obſeruauit eccleſia, quæ fuit, quum Bernardus ageret in humanis. Et eccleſiã eam, quæ ætate Bernardi fuit, in eiſdem fidei rebus, ita credere & docere, quẽadmodũ tota eccleſia Chriſtiana, quæ Bernardũ ſexcẽtis, & multo pluribus ãnis ãtecesſit, q̃ & baptizabat infantes, & p defunctis orabat, & ieiunia cõmẽdabat, & uota obſeruabat, & ſctõrũ intercesſiões nõ reſpuebat, ac alia quæ nũc in cõtẽtionẽ uocãtur, tradebat. Inſanimus pfecto ſi cõcordi & uetuſtisſima eccleſiæ traditiõe relicta, ſchiſmaticis aſſentiamur.

ET nunc occurrat aliquid, quod uel aperto ſcripturæ teſtimonio, uel ſynodorũ generalium authoritate aperte deciſum non ſit, ſed inter dubia computetur, ſua cẽſura & authoritas etiam præſenti eccleſiæ ſubtrahenda non eſt, ad q̃ Chriſtus ultimum iudicium retulit. Preterea præſens eccleſia poteſtatem habet inſtituendi ordinationes & ritus eccleſiaſticos, ad fidem charitatemq; ædificandam alendamq; quarum finis quum huc tendat, ut in eccleſia omnia (ſecundum diui Pauli preſcriptum) ordine ac decenter gerantur, ut ſint pedagogia, ad ſecretiora myſteria capeſſenda & ſacra reuerentius tractanda, ut ſint imagines pietatis & fidei in oculos & aures influentes, ut ſint fulcimenta uirtutis, & ſtimuli quidam nos admonentes, quid, a quo, quo tempore, quoue pacto ſuſcipi, agi, tractariq; in toto iſto ordine conueniat omnino contemnendæ non ſunt. Quæ tamen ab eccleſia ſic inſtituuntur, non ut charitati (modo abſit ſcandalum) interdum cedere non debeant, ſed potius ut fidem & charitatem pro uehant, quales ſunt ieiuniorum, feriarum, ac alij innumeri pij ritus, qui huc ſpe=

ſtant, ut expeditiores ſimus ad audiendum uerbum dei, ſacramenta participandum, & ſeruiendum deo uiuenti, & proinde non tantum utiles, ſed & neceſſariæ ſunt, in præſenti eccleſia, quæ multos carnales complectitur, quibus manuductione opus eſt. Quare qui has ſpernit et reijcit, aut ut mera figmenta hominum irridet aut a deo ueritas eſſe dicit, is cum deo & diſcipulo eius Paulo pugnat. Nam ut cætera ſileamus, prior ad Corinthios epiſtola ſatis oſtendit, quam fuerit diuus Paulus, in ritibus iſtis pijs ordinandis, atq; adeo obſeruandis ſolicitus, ut pronunciarit reijciendos ſecus ſentientes. Si quis (inquit) uult contentioſus eſſe nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia dei.

DEniq; ut præſens eccleſia non ſit eiuſdem illuminationis & reuelationis, cuius illa fuit, quæ ſub apoſtolis, & ſtatim poſt Apoſtolos erat quod ad docenda ac tradenda Chriſtianæ fidei myſteria atq; doctrinas attinet. Quod Apoſtoli ac ipſorum proximi ſucceſſores, eccleſiæ primitiuæ columnæ, arctius teſtimonium de his quæ uiderant, perhibere poterant, qui & ipſum Chriſtum, illiuſq; opera uiderunt, & doctrinã ex ſacratiſſimo ipſius ore perceperunt, manifeſtationemq; diuini ſpiritus in ſignis & prodigijs aſſequuti ſunt, quibus & ipſe Chriſtus poſt reſurrectionem aperuit ſenſus ut intelligerent ſcripturas prophetarum. Præſens tamẽ eccleſia eandẽ authoritatẽ habet, quã illa primitiua, quod ad claues eccleſiæ traditas attinet, quæ nihil aliud ſunt, q̃ poteſtas eccleſiaſtica in docendo uerbo dei, in ſacramentis, cæteriſq; myſterijs Chriſti diſpẽſandis, in remittendis ac retinendis peccatis, in excõmunicando ac reconciliando criminoſos, ac cõtumaces, ac alijs eiuſdẽ generis de quibus ſuo loco latius dicemus.

IAm neminem offendet, ꝙ ſingulæ eccleſiæ ſuos interdum ritus non admodum conſentientes habeant: Hæc enim diuerſitas, fidei ac charitatis communionem non diſſoluit, præſertim quum idem finis ſit, & idem ſcopus, quem ſinguli in his rebus (ut diximus) intendunt, multominus ꝙ patres interdum diuerſa tradere uidentur. Nam quod extra eos articulos, quos eccleſia catholica traditione diffiniuit (cui illi ſcientes nunquàm repugnarent) ſalua fidei compage, & ſpiritu charitatis interdum diſſonẽt. non ducimus abſurdum, quod in his non immobili ſententia diffiniendo loquuti ſint. Comperta eſt enim pietas fidei in eis non uacillare, quoniam omnia (in unitate eccleſiæ uſq; in uitæ finem manentes,) ad fidei ædificationem et eccleſiæ concordiam alendam dixerunt.

EX quibus omnibus manifeſtum euadit, eccleſiam dei quod ad exteriorem colligantiam & communionem attinet, uſq; in finem ſeculi habituram permiſtos bonos, & malos etiam ſecundum rationem membrorũ. Deinde quod ob malos mores uel præſidentium in eccleſia, uel membrorum, ab eccleſiæ unione recedendum non ſit, ſed ſemper eccleſiæ authoritas quærenda, ne perpetuo uel ob malos mores præſidentium, uel eccleſiæ membrorum, etſi mortuorum, hæreamus, num in corpore ueræ eccleſiæ ſimus nec ne. Deniq; ad quam regulam ſcripturæ interpretatio & dubiarum rerum, quæ in eccleſia occurrunt, determinatio exigenda ſit.

bus baptiſmum habuiſſe cum iuſtis commune, eſt cum quibus non habent communem charitatem. Numerus ergo iuſtorum: qui ſecundum propoſitum uocati ſunt, de quibus dictum eſt. Nouit dominus qui ſint eius, ipſe eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ uiuæ paradiſus cum fructu pomorum. Ex hoc numero (ut ſubdit Auguſtinus) quidam ſpiritualiter uiuunt, & ſupereminentem uiam charitatis ingrediuntur, & cũ preoccupatum hominem in aliquo delicto inſtruunt in ſpiritu lenitatis, intendunt ne et ipſi tententur, Et cum forte ipſi præoccupantur, reprimitur in eis aliquantulum, non autem extinguitur charitatis affectus, rurſuſq; reſurgens & inardeſcẽs priſtino cur ſui reſtituitur. Norunt. n. dicere. Dormitauit anima mea præ tœdio, cõfirma me in uerbis tuis. Quidam uero adhuc carnales & animales, prouectus ſuos inſtanter exercẽt, & ut cibo ſpiritualium fiant idonei ſanctorum myſteriorum lacte nutriuntur, ea quæ in prauis moribus, populari etiam iudicio manifeſta ſunt, in dei timore deuitant, & ut minus minuſq; in rebus terrenis et temporalibus delectentur, uigilantisſime ſatagũt, regulam fidei diligenter inquiſitam firmisſime tenent, & ſi quid ab ea deuiant, cito authoritate catholica corriguntur. Ex numero etiam eorum qui nequiter uiuunt, aut etiam in hæreſibus, uel in gentiliũ ſuperſtitionibus iacent, nouit dominus qui ſunt eius, qui nobis quidem foris eſſe uidentur, Dei autem præſcientia intus ſunt, ipſe enim nouit ſi conuertantur ad eum, & uiuant.

QVod ergo diximus, ſanctam eccleſiam non habere maculam aut rugam, intelligendum eſt de criminibus lethalibus, a quibus omnes qui Chriſtiani ſumus, & poſſumus & debemus abſtinere, opitulante ſpiritu Chriſti, qui confirmabit nos uſq; in finem ſine crimine in die aduentus domini noſtri Ieſu Chriſti. A leuioribus autem, quis dicere poteſt ſe mundum eſſe? Sed hi neui uerius ſunt q̃ maculæ facile diluibiles. aut qđ dicimus eccleſiam non habere maculam aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi iam ſit tota pulchra, ſed quod ad ſummam puritatem enitatur, & a deo præparetur, ut tandem glorioſa appareat. Nunc enim propter quaſdam ignorantias & infirmitates membrorum ſuorum habet eccleſia, unde quotidie tota dicat. Dimitte nobis debita noſtra.

CATHOLICAM. *Eccleſia ſancta appellatur catholica, hoc eſt uniuerſalis, protendens palmites ſuos in quælibet & loca & tempora, tum præterita, tum præſentia, tum futura, ſecundum ſeriem ſucceſsionis naſcentium & decedentium continuata ſub uno duce inuiſibili deo, in unitate fidei & religionis. Proindeq; hæc eccleſia nõ eſt affixa ulli loco, regioni, genti, aut familiæ, dicente ſcriptura. Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Non eſt perſonarum acceptio apud deum, ſed in omni gente & loco, qui timet deum, acceptus eſt illi. Quicunque ergo ab Adam in præſens uſque tẽpus fuerunt ac deinceps uſque in conſummationem ſeculi erunt de fide in unum deum & Chriſtũ eius (quem ſancti ab orbe condito in ſpiritu uenturum & diaboli regnum deſtructurum nouerunt) conſentientes, unius eiuſdemque fidei & Spiritus uiuificantis ſignaculo obſignati, de eccleſiæ membris ſunt, nouerint ſe mutuo nec ne. Sufficit enim ſcire*

hanc ſocietatem ſpiritu Chriſti conglutinatam, in orbe ſemper fuiſſe, & uſque in conſummationem ſeculi futuram. Viderunt ſancti ab orbe condito diem Chriſti, & gauiſi ſunt. Viderunt autem partim diuino & ſuperceleſti lumine illuſtrati, partim diuinis promißionibus innixi, quæ ſtatim poſt Adæ lapſum (ne deſperaret homo) inſonuerũt de ſemine, quo conterendum foret ſerpentis caput, & in quo benedicerentur omnes gentes. Proindeq; manifeſtum eſt, & ueteris & noui teſtamenti unam eandemq; eccleſiam eſſe fundatam ſuper fundamentum prophetarum & apoſtolorum, hoc eſt Chriſtum, qui utriuſq; teſtamenti finis eſt, & utriuſq; populi fundamentum, lapis ille angularis, quo uterq; populus connectitur. Vocamus ergo eccleſiam catholicam, quod ramos & palmites ſuos per uniuerſam terram extendat. Quemadmodum dominus prounnciauit eccleſiam ab Hieruſalem incipientem creſcere, donec perueniat in omnes gentes. Prædicabitur (inquit) Euangelium regni in uniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet conſummatio. Et iterum. Oportebat Chriſtum pati, & in nomine eius prædicari pœnitentiam & remißionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem. Et alibi. Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, in Iudæa & Samaria uſq; ad ultimum terræ, non quod neceſſe ſit, eccleſiam in dies maiorem fieri, ſed quòd quotidie accreſcant noui palmites ex gentibus, aut rurſus, non quod nulla ſit natio, ubi in preſentiarum non uigeat fides, ꝗ poſſibile ſit, nonnullas adhuc eſſe gentes, quibus Euangelium prædicatum non ſit, ſed quod finis ſeculi uenturus non ſit, donec Euangelium ſalutis in omnibus gentibus prædicatum fuerit. Ex quibus omnibus eſt conſequens, hæreticos inſanire, qui aſſerunt totum terrarum orbem apoſtataſſe, & fidem tantum apud ſe remanſiſſe, & a ſua parte in quodam terræ angulo ſtare.

CVr autem ſymbolum miſſæ addat, apoſtolicam, ſuperius expoſuimus ac docuimus, Spiritum ſanctum remittentem peccata, non alibi reſidere quam apud eccleſiam apoſtolicam, cui Ieſus dixit. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hic enim Spiritus copulat, & ſociat omnia eccleſiæ membra nõ ſecundum corporalem congregationem, in unam patriam, prouinciam, regionem, ſed ſecundum ſpiritualem copulam, in uno fidei ſacramento, in una profeſſione, in uno grege, in uno ouili, ſub uno paſtore, ſub una cathedra.

DEniq; noſſe oportet ex ſcripturis, duas eccleſias eſſe, unam dei, alteram diaboli, unam Chriſti, alteram Satanæ, unam piorum, alteram malignantium. Prioris author eſt deus, & ſanctificator Spiritus ſanctus, de qua, hic articulis loquitur. Alterius, diabolus, per apoſtatationem a deo. Duæ quidẽ ciuitates, quarũ utraq; uti corpus quoddã creſcit uſq; ad cõſummationẽ ſeculi, de quorũ ortu, progreſſu ac exitu inſigne uolumen ædidit Auguſtinus, cui nomen a patre meliori indidit, de ciuitate dei. Conſtat autem eccleſia malignantium ex conuenticulis ſchiſmaticorum, hæreticorum, ac aliorum impiorum aduerſus eccleſiaſticæ hierarchiæ tranquillitatem conſpirantium, quæ licet innumera ſint, uarijs titulis ſe uenditantia & inter ſe contraria. in hoc tamen

conueniunt, quod uni eccleſiæ catholicæ nunquam non inſidiantur, aduerſantur ac bellum non incruentum mouent. Contra quæ hic articulus fiduciam præbet, q̃ nõ præualebunt aduerſus eam.

CRedimus ergo ut huius articuli finem tandem faciamus, unam tantum per totum terrarũ orbem ſanctam eccleſiam catholicam, quæ per ſpiritum ſanctum in unitate fidei colligitur, conſeruatur & gubernatur, quodq; nullus ſaluari poßit, uel qui de hac eccleſia non eſt, uel qui ab illa rite reſectus eſt, niſi ſe illi reconciliet. Quod fit quum per eccleſiæ miniſtros authoritate clauium in gratiam recipitur. nam & ſæpe in ſcripturis eccleſiæ miniſtri, iudices, rectores, moderatores, & paſtores, eccleſiæ dicuntur. Quemadmodum (ſi diuo Chryſoſtomo credimus) dictum eſt Marci. xviij. Si te non audierit, dic eccleſiæ, ideſt, eccleſiæ præſulibus ac præſidentibus, quibus Chriſtus ligandi ac ſoluendi poteſtatem commiſit.

SANCTORVM COMMVNIONEM.

ARticulus iſte potius explanatio eſt proxime prioris, q̃ articulus nouus. Declarat enim quid intelligendum ſit per ſanctam eccleſiam, & quem fructum referat qui eccleſiæ catholicæ uiuum eſt membrum. Sancta enim eccleſia (ut paulo ante diximus) eſt cœtus & congregatio fidelis populi, unum deum, unum Euangelium, unam fidem, unã ſpem, in uinculo charitatis profitentium, atq; eiuſdem ſpiritus, eorundemq; ſacramentorum participationem habentium. Credimus ergo non ſolum in cœlis, ſed et in terris eſſe talem ſanctorum ſocietatem, ſpiritu Chriſti conglutinatam, idq; arctißima coniunctione myſtici corporis cum capite ac inter ſe membrorum, adeo ut in hac ſocietate talis quædam ſit communio omnium bonorum operum, inter omnes pios qui fuerunt ab initio mundi, qualis eſt membrorũ corporis inter ipſa ſocietas. Proindeq; credimus aliorum omnium piorum hominum benefacta nobis ſubuenire, nos iuuare, defendere ac confirmare. Donec tamẽ membra corporis, hoc eſt eccleſiæ fuerimus. Hinc eſt quod Chriſtus nos orare docens, iubet non ſibi quęq; peculiariter aliquid rogare, ſed uelut unius corporis membra, eodem animata ſpiritu, quod in commune omnibus expediat, poſtulare, quemadmodum ſuo loco in expoſitione dominicæ orationis dicemus. Alter enim alterius onera portamus, & ſic adimplemus legem Chriſti.

CAeterum extra hanc ſanctorum communionem, quæ eſt eccleſia, ne propria quidem benefacta conducunt cuiq̃ ad ſalutem, quamlibet etiam in ſpeciem eximia. Quapropter etſi pro Chriſti nomine quis ſanguinem fundat, tamen ſi in hac uita non tenuit eccleſiæ catholicæ unitatem, non habebit æternam ſalutem. Nam ſi unam ſanctam eccleſiam, ſanctorumq; communionem credimus (quæ eſt Chriſti corpus myſticum) conſequens eſt, eum nullam cum ſanctis communionem habere qui hanc unitatem deſerit. In corpore quoque Chriſti myſtico non eſſe qui ab illa recedit. Nec pertinet ad Chriſti præmia qui relinquit eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, denique habere non poteſt deum patrem, qui non habet eccleſiam matrem, in qua ſola eſt remiſſio peccatorum. Et ideo ſequitur.

EX ſuperioribus manifeſtum euadit, non propter aliud factum eſſe, ut & pater mitteret filium, & ipſe filius ſuſciperet hominem ſanandum & ſpiritus ſanctus ſua dona in nos effunderet, niſi ut noſtræ animæ a ſarcinis peccatorum liberarentur. Suſcepit quidem Chriſtus totum hominem, & in anima & in corpore curandum, a cura tamen animi cœpit, tandem etiam corpori daturus fœlicitatem, immortalitatemq́; quin priorem curam animæ adhibendam eſſe q̃ corpori demonſtrauit, quum paralyticum ſanaret, Fili (inquit) confide, remittuntur tibi peccata tua. Deinde quum uidiſſet peruerſam Iudæorum mentem: Vt (inquit) ſciatis, quia habet poteſtatem filius hominis in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuũ & ambula. Neceſſe eſt enim, ut prius interius ſanus ſit, qui exterius ſaluus eſſe deſiderat, quemadmodũ dominus alibi ait: Munda prius quod intus eſt, ut fiat & id qđ deforis eſt mũdũ.

CRedimus ergo in ſola eccleſia Chriſti, neque uſquam alibi eſſe remiſſionem peccatorum. In eccleſia inquam, non hæreticorum, ſed ſancta catholica & apoſtolica, in ſpiritu Chriſti congregata, eſt remiſſio peccatorum per baptiſmum, & poſt baptiſmum per pœnitentiam & claues eccleſiæ datas. Baptiſmus quidem extra eccleſiã eſſe poteſt apud hæreticos, baptizantes, in nomine patris & filij et ſpiritus ſancti, ſed prodeſſe nõ poteſt ad remiſſionem peccatorum, niſi baptizatus ante finem uitæ ſuæ, catholicæ eccleſiæ reconciliatus, redditus, & incorporatus fuerit. Quia etſi habeã (inquit Apoſtolus) omnem fidem & nouerim omnia myſteria, charitatem autem (quæ in hæreticis & ſchiſmaticis ſe ab unitate eccleſiæ ſeparantibus non eſt) non habuero, nihil ſum. Nam & in diebus diluuij neminem legimus extra arcam potuiſſe ſaluari. In eccleſia autem catholica, ſanctum baptiſma, omnia prorſus delicta delet, & originalia & propria, ut amodo non imputentur. Innouat ſiquidem hominem per baptiſmum qui fecit illum, præuenit gratia etiam: ipſam infantiã, ut ſint liberi, per Chriſtum liberati, qui in Adam a diabolo tenebantur ante captiui. Deonerantur anima ſarcinis peccatorum, ut libertate nouæ uitæ induta, aduerſus diabolum cum adiutorio diuino fortiter ualeat dimicare, eumq́; a quo ſuperata eſt, ita ſuperet ut in regnũ dei trãſlata de hoſte deuicto ſecura regnet cũ ſuo capite Chriſto. Quum ergo baptizati fuerimus, ducere uitam bonam in præceptis dei debemus, ut baptiſmum cuſtodiamus uſque in finem.

AT ſi poſt baptiſmum in peccata, quamuis grauia & crebra, ceciderimus, ſupereſt ſecunda poſt naufragium tabula. nempe pœnitentia, per quam lapſus, in uirtute ſanguinis Chriſti donatur remiſſione peccatorum, miniſterio clauium eccleſiæ in perſona Petri traditarum: Tibi dabo (inquit) claues regni cœlorum, quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quæcunque ſolueris ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlis. Et iterum Matth. xviij. Amen dico uobis, quecunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlo. Et hæc pœnitentiæ ianua, non aperitur, niſi per ſpiritum ſanctum illuminantem & conuertentem, quemadmodum Apoſtolus dixit: Ne forte det

illis deus pœnitentiam ad cognoſcendum ueritatem. & reſipiſcant a diaboli laqueis, ſed de hoc ſuo loco latius. Tantum meminiſſe omnes debent tunc demum remitti nobis peccata, ſi nos uiciſſim proximo remiſerimus.

Hic locus foret non importunus de ſeptem eccleſiæ ſacramentis dicendi, ſed ne lectorem ad ſymboli finem properantem remoremur peculiarem illis locum, ſtatim poſt calcem huius explanationis reſeruamus.

CARNIS RESVRRECTIONEM.

IAm diximus, Chriſtum totum hominem curandum & ſaluandum ſuſcepiſſe. Conſtat autem homo anima & corpore. Anima rurſus duas partes habet rationalē & uitalem ſeu ſenſitiuam. Rationalis (qua carent beſtiæ) mens ſeu ſpiritus dicitur, qua deo ſeruimus, non prius tamen q̃ hic ſpiritus noſter, per ſpiritus ſancti gratiam exoneratus a peccatis & innouatus fuerit. De qua parte dixit Apoſtolus: Mente ſeruio legi dei. Et iterum: Teſtis eſt mihi deus, cui ſeruio in ſpiritu meo. Altera pars, nempe uita, qua coniungimur corpori, anima dicitur, quæ quum etiam in electis & innouatis non omnino concupiſcentiam carnalem exuerit, caro nominatur. Vnde dicitur. Mente ſeruio legi dei, carne autem legi peccati. Poſtremo, tertia pars, quæ tantum uiſibilis eſt, ultimum & infimum in nobis, corpus eſt noſtrum. Iam natura corrupta refingitur & perficitur, quum ſpiritus hominis ſubijcitur ſpiritui dei, & quum ſequitur ducentem deum per ueram fidem & bonam uoluntatem. Dein quum anima ſpiritui noſtro per ſpiritum dei innouato, ad bonam operationem ſubditur. Quod non tam cito fit quā ſpiritus noſter ſpiritui ſancto ſubiugatur, aliquanto enim tardius eius impetus, quo in carnalia & temporalia defluit, refrenatur. Et ideo aſſidua in nobis donec uixerimus pugna eſt, qua ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, & caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Sed tamen quia & ipſa carnalis anima mundatur, recipiens ſtabilitatem naturæ ſuæ dominante ſpiritu, qui ei caput eſt, cuius rurſus caput eſt ſpiritus Chriſti, non dubitandum, ſed firmiter credendum eſt, corpus etiam ipſum, beneficio Chriſti tandem propriæ naturæ reſtitui, quāuis non tam cito quā uel anima uel ſpiritus reſtituuntur, ſed tempore opportuno, in nouiſſima tuba quum mortui reſurgent incorrupti & nos immutabimur.

CRedimus ergo per ſpiritum ſanctum reſuſcitandam omnem carnem, hoc eſt, omnes homines ſecundum corpus & carnem reuicturos, tam pios q̃ impios, tam [illegible]nos q̃ malos, ſic ut eadem caro quam circunferimus, quæ mortua eſt & ſepulta, ac [illegible] putruit, reſuſcitanda ſit. quod aperte oſtendit Paulus, quum reſurrectionem carnis [illegible]dit, addito pronomine, dicens. Oportet corruptibile hoc. Quum enim dicit, hoc, in carnem quam geſtamus, quaſi digitum intendit, Quid enim aliud eſt dicere mortale hoc? q̃ ꝙ hæc uiſibilis caro ſit reuictura. Sicut & apertiſſime Iob teſtatur, dicens. Et rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo deum meū, quem uiſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Reſurget ergo hoc corpus ad immortalitatem, quæ pijs atq; impijs communis erit, ſed longe diuerſa ratione, nam pijs æternam

beatitudinem, impijs uero æternos cruciatus adferet, quemadmodum apud Danielem prophetam legimus. Quia tunc reſurgent qui ſunt in terræ puluere. hi quidem in uitã æternam, hi autem in opprobrium & confuſionem æternam. Sicut Chriſtus dixit. Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt in reſurrectionem iudicij, ideſt æternæ condemnationis. quemadmodum explanatius dicitur in ſymbolo Athanaſij. Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, & qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum.

RESurget ergo caro non mutata ſubſtantia, ſed qualitate. q̃ ſi deus noua corpora creare poteſt, cui dubium, quin & hæc corpora ad immortalitatem reſtituere poßit? non immutata corporis ſubſtantia, ſed corporis qualitatibus. Non contradicit ergo reſurrectioni corporum, quod Paulus prima Corin. xv. (ubi toto capite reſurrectionem corporum ex profeſſo demonſtrat) ait: Caro & ſanguis regnum dei non poßidebunt. hoc enim oſtendere uoluit, q̃ caro & ſanguis cum his qualitatibus corruptibilibus non reſurgant. Subdit enim. neq; corruptio incorruptelam poßidebit.

DIcet ergo quiſpiam, quomodo ergo mortui reſurgent? quali corpore uenient? Audi reſpondentem Paulum, Inſipiens tu, quod ſeminas, non uiuificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granũ, utputa tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut uult, & unicuiq; ſeminum proprium corpus. Quaſi diceret. Quod in ſeminibus quæ tu in terram iacis per annos ſingulos fieri uides, hoc in tua carne quæ legi dei ſeminatur in terra, futurum eſſe non credis? Nonne quum diuerſa ſemina quis in unũ permiſcet, & hæc indiſcreta ſeminat, uel paßim ſpargit in terram uniuſcuiuſq; ſeminis ſatio quocunq; loco fuerit, competenti tempore ſecundum naturæ ſuæ ſpeciem germen producit? & culmum ſuæ formæ, ſuiq; corporis reparat? Quid ergo mirum, ſi deus uniuſcuiuſq; carnis ſubſtantiam, quamuis uarie diſperſam, mutatis qualitatibus reparet ac refingat, ſic ut unicuiq; animæ non confuſum aut extraneum corpus, ſed ſuum quod habuerat, reparetur, ut ſubinde idem corpus cum anima ſua uel pudica coronari, uel impudica puniri poßit.

HAec eſt ergo ſumma fidei noſtræ, quæ ſeparat nos ab infidelibus, qua ſine, uana eſt fides noſtra, tum q̃ qui non credit reſurrectionem mortuorum, neq; credit q̃ Chriſtus reſurrexit, tum q̃ nos, ſi in hac uita tantũ in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſimus omnibus hominibus. Hæc inquã eſt baſis totius fidei noſtræ, quæ pijs in hoc ſeculo, precipuum adfert ſolatium contra omnes adflictiones, impijs uero terrorẽ, alioqui in omnia ſcelera ſine modo prolapſuris. Porrò hic articulus inſignis eſt (qđ ad pios attinet) promißionũ magnitudine, ut ex multis pauculas referamus. Chriſtus inquit Paulus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in uno oẽs moriuntur, ita & in Chriſto omnes uiuificabuntur, primitiæ Chriſtus, deinde qui ſunt Chriſti

qui in aduentū eius crediderunt. Et ſtatim poſt. Stella a ſtella differt in claritate, ſic et reſurrectio mortuorū. ſeminatur in corruptione, ſurgit in incorruptione ſeminatur in ignobilitate, ſurgit in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurgit in uirtute, ſeminatur corpus animale(ſurgit corpus ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt. Factus eſt primus Adam in animam uiuentem nouiſſimus Adam in ſpiritum uiuificantem: primus homo de terra, terrenus, ſecundus homo de cœlo, cœleſtis. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Quibus & hæc addit. Ecce myſterium uobis dico, Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Et cætera quæ ſequuntur. Quum autem mortale hoc induerit immortalitatē, tūc fiet ſermo qui ſcriptus eſt. Abſorpta eſt mors in uictoria, ubi eſt mors uictoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? hoc eſt peccatum. Stimulus enim mortis, peccatum eſt, quod tunc euacuabitur. Et iterum, quid dulcius illa conſolatione, quæ eſt ad Theſſalo. Nolo uos (inquit) ignorare fratres de dormientibus; ut non contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent. nam ſi credimus quia Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ita deus eos qui dormierunt per Ieſum, adducet cum illo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quia nos qui uiuimus, qui relicti ſumus, in aduentu domini non præueniemus eos qui dormierunt: Quoniam ipſe dominus in iuſſu, in uoce archangeli, in tuba dei, deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos qui uiuimus qui relicti ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ita ſemper cum domino erimus. Itaque ut ſubijcit cōſolamini inuicem in uerbis iſtis. Quod maius ſolatium homini pio adferri poteſt, quàm quod deus per Apoſtolum ſuum teſtatur, piorum corpora in tantam gloriam mutari, ut in occurſum domini ſuſpenſa nubibus, & aere uectata rapiantur? Quinimmo, quod deus transformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori filij claritatis ſuæ, facietq; æquales angelis, ſicut in Euangelio pollicitus eſt, in reſurrectione mortuorum non nubent, neq; nubentur, ſed erunt ſicut angeli dei in cœlo, ut uiuant cum ipſis in æterna uita. Et ideo ſequitur.

ET VITAM AETERNAM.

QVid iucundius? quid dulcius? quid optatius ac ſimboli concluſione, qua in Chriſto manētibus poſt glorioſam reſurrectionem corporū promittitur æterna uita, æterna fœlicitas, æterna q; beatitudo. In hac lachrymarum ualle, nihil preſente uita charius ducimus, quæ tamen uix uita dicenda eſt. Quē erg nō delectet ueræ æternæq; uitæ fidelis promiſſio? Vitæ inquā corporis & animi nunq̄ finiendæ. Quod.n. ad corpus attinet, nō erit amplius obnoxiū fami, ſiti, æſtui, frigori, indigentiæ, laſſitudini, ſeruituti, dolori, morti, aut ullo incōmodo, ſed erit immortalitate, agilitale, ſubtilitate, & claritate ſumma decoratū, ſicut ſcriptum eſt. Quod iuſti ſicut ſol fulgebūt, & ſicut ſplendor in firmamēto dei. Et iterū. Fulgebunt iuſti & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Quod ad animum attin[illegible] [illegible]lis uitijs, nulla triſtitia aut mœſtitia ſolicitabitur, ſed perpetuo fruetur ſummo bono, qui eſt deus.

Quæ fruitio quanta bona complectatur, nulla lingua dicere, nulla mens humana ap-prehendere poterit. Nec enim oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ preparauit deus diligentibus ſe. Quis enim explicet, ex qua gloria in quã gloriam ſanctorum corpora reſuſcitata tranſeant? Quis cogitando aſſequatur, quemadmodum ſponſa eccleſia in uirum perfectum conuertatur, conregnatura Chriſto? Quis explicare audeat? quomodo ipſe filius, quum tradiderit regnum deo & patri, ideſt congregationem fidelium, ita illum hominem ſuſceptum ampliuſq; clarificatũ non dimittat, ut eam claritudinem, quam habebat cum patre, antequam mundus fieret, ſuis fidelibus demonſtrare non differat. Deniq; quomodo erit deus omnia in omnibus, contemplantes delectabimur, & delectabiliter contemplando, dei uiſione fruemur. Idq; in ſanctorum omnium communione, ubi erit feruentiſſima charitas, non minus de bonis alienis q̃ de ſuis gaudens. Bonis inquam ſpiritualibus, quibus fruuntur angeli, ſemper uidentes faciem patris, qui in cœlis eſt, tum complebimus quod iubet Dauid. Vacate & uidete, quoniam ego ſum deus. Hæc eſt enim uita æterna, ut cognoſcãt te ſolum uerum deum & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.

QVemadmodum autem pij uitam æternam hæreditabunt, ita impios mors æterna & animi & corporis, hoc eſt, æternum ſupplicium poſſidebit, ſicut Chriſtus dixit. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in uitam æternam. Impiorum enim immortalitas uerius æterna mors, q̃ immortalitas nuncupatur, q. æternos cruciatus tam animi q̃ corporis abſq; ulla ſpe ueniæ ſit allatura. Quẽadmodum Paulus Roma. viij. Stipendia (inquit) peccati mors: gratia autem dei, uita æterna in Chriſto Ieſu domino noſtro. Amen.

A M E N.

QVoniam omnia prædicta ueriſſima eſſe indubitate credimus. Et quæ uel ad creationem uel redemptionem uel ſanctificationem noſtram pertinent, patrẽ cœleſtem per filium, & cum ſpiritu ſancto operatum eſſe, & nobis certo obuentura per dei miſericordiam credimus, Idcirco dicimus, Amẽ, quæ uox eſt ſermonem confirmantis & ratum fore precantis, hoc eſt, ita certo fiat.

[S]oli deo ſaluatori noſtro, per Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum gloria et magnificẽtia, [im]perium & poteſtas ante omnia & nunc & in ſecula ſeculorum. Amen.

Excuſſum in Auguſta Taurinorum, per honorabilem Martinum Crauotum, ciuem & typographum, eiuſdem ciuitatis, Paulopoſt eius, ab urbe Venetiarum (in qua ſeuientibus bellis reſedit hactenus) reditum.

Anno domini. M. D. XLVII. Die. x. menſis. Septembris.